4

DISCUSSIO atque CASTIGATIO VINDICIARUM *DISTINCTIONIS INTER* PARAGIA ET APANAGIA,

QUAS

CONTRA

B. JO. NICOLAI HERTII,

JCTI FAMIGERATISSIMI, SERENISSIMI LAND-GRAVII HASSIÆ DARMSTAD. CONSILIARII, CANCELLARII ACADEM. Æ GIESSENÆ. & PROFESS. PRIMARII.

DISSERTATIONEM

DE COMMENTITIA PARAGII ET APANAGII DISTINCTIONE IN ROM. GERM. IMP. PRINCIPATIBUS PROFANIS, ET COMITATIBUS,

PUBLICAVIT atque DEFENDIT HALÆ MDCCIX. VII. DEC.

LOCO SPECIMINIS INAUGURALIS,

PRÆSIDE

D. CHRISTIANO THOMASIO,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ & SERENISS. DUCIS SAXO-NAUMBURG. CONSILIAR. INTIMO, PROF. JUR. ORD.

AUTOR

M. EPHRAIM GERHARD, BRIGA-SILES. ADVOCAT. SAXO-VINARIENS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ACCESSERUNT

NONNULLÆ ANIMADVESRSIONES

IN

JOH. HENRICI LOMBARDII, J. U. L. SERENISS. DOM. HASS. RHEINF. CONS. IN DICAST. ROTENBURG.

TRUTINAM TRIUM QUÆSTIONUM CONTROVERSARUM, *EIDEM DISSERTATIONI HERTIANÆ OPPOSITAM.*

ELEUTHEROPOLI AN. MDCCXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA

AD

DN. D. CHRISTIANUM THOMASIUM,

JCTUM CELEBRATISSIMUM.

VIRO ILLUSTRI ATQUE AMPLISSIMO,

S. P. D.

AUTOR.

SI quicquam unquam fuit, quod mihi diſcuſſionem atque caſtigationem præſentium Vindiciarum meditanti, longam hæſitationem dubitationemque cauſavit, fuit certè conſideratio magnæ illius venerationis atque exiſtimationis, quâ tam perſonam, quam & erudita Viri Ampliſſimi ſcripta ſemper atque ſemper proſecutus ſum, quâ ſalvâ hujus mei propoſiti executionem fieri non poſſe, initiò credidi. Quando vero poſtea perpendi, nullo modo ad Virum Ampliſſimum pertinere, vel ulla aliqua ratione trahi poſſe, quæ Autori Vindiciarum reponere geſtiebam, ſicque reſpectum erga Ipſum foventem nullatenus lædi, nil ſupereſſe videbam, quod ſcopum meum ulterius remorari poſſet. Neque enim arbitror, commodati Autori Vindiciarum præſidii rationem cauſam communem reddere poſſe, quia ut hoc Vir Ampliſſimus præſtaret, procul dubio neceſſitas geſti tunc temporis officii Decanatus, cui hoc onus plerumque ſolet eſſe annexum, exegit. Atque licet B. Hertius ad ſe quoque pertinere exiſtimaverit congeſta in

Ipſius Reſpondentem convitia; ex eodem tamen fundamento ad ſe [illegible]nere non poterit Vir Ampliſſimus præſentem Vindiciarum, ſub Præſidio Ipſius licet ventilatarum, caſtigationem & confutationem. Etenim quò majores in conſcribenda diſſertatione Hertiana, eò minores in parandis hiſce Vindiciis fuere partes Præſidis, imo ſi dicerem omnino nullas, non deeſſent mihi ejus aſſertionis probationes. Initiò enim id ſuadet inepta ſcribendi refutandique methodus, in Vindiciis adhibita, quod ipſum amplius confirmat ipſa Reſpondentis confeſſio, & denique haud vulgaris amicitia & æſtimatio, quam erga B. Hertium non uno loco Vir Ampliſſimus teſtatus eſt. Id quidem a multis ſiniſtrè interpretatum eſſe novi, quod Vir Ampliſſimus miſerabiles haſce Vindicias publicæ ventilationi exponere permiſerit. Enimvero in eo Ipſum non parum excuſare poterit libertatis, Academiis debitæ, ratio, quæ omnia, exceptis quæ DEI honorem, publicæque ſalutis conſervationem manifeſtè lædunt, ad diſputationem ſcholaſticam admittere ſuadet, modo in conflictu publico per Reſpondentem defendi queant. Atque hactenus nil video, in quo Viro Ampliſſimo quicquam imputari, vel ex quo in conſortium hujus cum Vindice initæ litis trahi poſſit. Male ſanè cum Præſidibus comparatum eſſet, ſi poſt publicum inſtitutum examen amplius adſtringerentur ad ulteriorem eorum defenſionem, quæ ipſis tamen Autoribus conſcripta non ſunt. Unde licet ineptitudo argumentorum a Vindice propoſitorum ob inſigne animi tædium nimis dura interdum verba mihi extorſerit, ingenuè tamen publicèque nunc fateor, ne ullum horum ad Virum Ampliſſimum pertinere, cujus nominis veneratio longè major apud me ſemper eſt, quam ut contumelius Ipſum offendere ſuſcipiam. Interim ego DEUM obſecro, ut integras corporis vires continuò Viro Ampliſſimo largiatur, quò publico bono adhuc diu ſupereſſe queat, Vale & pl. ſalve.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR.

QUem præſens Vindiciarum, Sophiſticationum, atque Calumniarum diſcuſſio ſcopum habeat, Tibi forſan adeò obſcurum non erit. Ubi tamen initio nulla de me vel hocce qualicunque meo auſu arguenda eſt oſtentatio, nulla ſcribendi prurigo, aut aliqua vanam gloriolam captandi cupido, quam quidem ſectari plerique ſolent, qui ruditatem ac ruſticitatem aliorum orbi erudito commonſtrandam ſibi ſumunt. Potius exiſtimes, juſtiſſimum ad hoc negotium ſuſcipiendum me duxiſſe zelum; ne diſſeminatæ atque ejectæ à malevolis quibusdam hominibus in Virum Illuſtrem atque Ampliſſimum, nunc verò Beatum Dn. Cancellarium HERTIUM, JCtum dum in vivis erat præ cæteris Conſummatiſſimum, Præceptorem meum ad cineres usque venerandum, *cavillationes & nequitiæ maneant inultæ. Equidem tam callida fronte fuit Vindex Hallenſis, ut infinitis encomiis paſſim in ſuis Vindiciis Beatum Virum onerando, ſolenniſſimè proteſtetur, ſe hasce Vindicias minimè contra B. Hertium ſcribere, ſed contra eum, qui Reſpondentis munere in diſſertatione Hertiana eſt functus, quem unicè autorem illius diſſertationis eſſe exiſtimat. Enimvero quis non ex eo intelligit indolem verſipellium hominum, aliquem laudantium, imò amiciſſimè oſculantium, eum ſaltem in finem, ut eò acrius mordere poſſint? Qui enim modum ſcribendi Hertianum novit, primò ſtatim aſpectu animadvertet, non aliunde quam unicè ex armario Tanti Viri hanc tractationem de* Commentitia paragii & apanagii diſtinctione in R. G. I. Principa-

tibus profanis & Comitatibus *fluxiſſe*, *id quod B. Vir etiam nunquam negavit, ut apparet ex Epiſtola Amici ad Amicum inferius ſubjuncta. Interim quamvis exiſtimatio Tanti JCti. nunc in orbe literario deſideratiſſimi, evulgatis illis naniis atque nugis minimè laceretur, præſertim cum omnibus conſtet, in quanta luce atque celebritate ille vixerit, cujus virtutes ſeculo in exemplum patent; videtur tamen ipſius famæ integritati non ſatis cautum, niſi calumniæ quæ aliquo probabilitatis colore exornatæ, veſtigia ferè relinquunt, quantum fieri poteſt, deleantur. Equidem dubito, an Vir nunc beatus, ſi diutius vitæ ſuperſtes manſiſſet, ad gannitum atque latratum horum Idiotarum unquam ita ſeſe commoviſſet, ut ignorantiam improbitatemque illorum ſtylo in juſtam indignationem laxato ulciſci ſuſcepiſſet. Erat enim hæc ſcribendi diſſerendique ratio à miti ipſius indole atque genio prorſus aliena, quamque potius imbellibus canibus, quam Viris, quos gravitas atque veneratio comitari debet, propriam eſſe exiſtimabat. Proinde miratus eſt magnoperè*, Ampliſſimum Dn. Thomaſium, JCtum ſingularis alias judicii atque eruditionis, *inſanientis alicujus Hominis Sileſii (quo nomine vulgus denotare ſolet Aſinorum belluonem) conſarcinatis Vindiciis præſidium ſuum graviſſimum commodaſſe. Non enim minus JCti gravitati adverſari videtur, calumniantium approbare malitiam, quam ipſemet more anicularum convitiari. Etenim non facta morali conſideratione interdum pro factis haberi ſolent, & quando quis delectatur aliorum nequitiis, id cordatiores adeo optime non interpretantur. Voluerunt equidem quidam aſſerere, ac ſi ex ipſo Celeberr. Dn. Thomaſii ingenio hæ Vindiciæ promanaverint, quæ tamen cum meræ conjecturæ ſint, ex ſola identitate ſtyli profectæ, non potui illis ſubſcribere, ſiquidem præter hanc ne belluini quidem ſenſus veſtigium in hiſce miſerabilibus Vindiciis conſpicitur, ſed meræ ſunt cavillationes, quarum authorem Dn. Thomaſium non eſſe, ſi non ex ipſa Hominis Sileſii confeſſione nobis conſtaret, inde inſuper ſatis perſuademur, quod Thomaſiana ſcripta majori ſoliditate pollere ſoleant. Quapropter ingenuè*

nunc

C

nunc profiteor, me cum Famigeratiſſimo Dn. Thomaſio nihil prorſus commercii habere, ſed cum inepto Autore Vindiciarum, homine ultra ſortem atque crepidam ſuam audace. Eſt praeterea Conſiliarius quidam Rheinfelſenſis, nomine Lombardius, *qui ut Sereniſſimos ſuos Principes, in ordinem Paragiatorum aliquando ab eo evectos, in illo defendat atque muniat, etiam Hertiana doctrina ſeſe oppoſuit, edita Trutina Trium quaeſtionum controverſarum. Eſt forſan ut opinor Vir alias ſat doctus atque ingenioſus, modo huic controverſiae ſe non immiſcuiſſet. Sed dolendum, quod multos tam inſanabile ſcribendi teneat cacoëthes, ut ipſi ſuam imperitiam celare nequeant. Nam ſtraminea omninò ſunt omnia quotquot etiam argumenta propoſuit, nomine Conſiliarii prorſus indigna, ut infr. in* Sect. III *videbimus. Id igitur hoc ſcripto nobis agetur, ut tum nefarias Vindicis Hallenſis calumnias repellamus, tum ut laudati Lombardii in hoc argumento inſcitiam manifeſtemus. Deplorari verò non ſatis poteſt praematura admodum mors B. Dn. Cancellarii HERTII, qua ut in aliis partibus, ita quoque in hac controverſia multa nobis periere. Utinam nobis contigiſſet felicitas, propriam ipſius Apologiam videre, cui hanc inſcriptionem jam deſtinaverat:* Bona fides deſiderata in Vindiciis diſtinctionis inter Paragia & Apanagia. *(qui ſolus titulus indicat manſuetum ejus ſcribendi modum etiam adverſus malèferiatos homines) quantum quantum nobis lucis in hoc illuſtri argumento datum fuiſſet. Erat enim B. ille Vir ex omnium eruditiorum confeſſione in univerſis Jurisprudentiae partibus praeſertim publica Germanica verſatiſſimus, Notitiam Statumque Reipubl. noſtrae exactè cognitum habebat. Praeterea ſua dexteritate jamdudum apud cordatos famam JCti cordati atque ſinceri occupaverat, non propalantis aliquam opinionem, quam juri noſtro convenientem eſſe, non prius in conſcientia ſua perſuaſus fuiſſet. Non erat verſatilis, uti quidem hodierna aetate multi ſunt, qui quam hodie defenderunt ſententiam craſtina die iterum mutant. Uno verbo erat JCtus omnibus ex partibus perfectiſſimus. Ne itaque nunc de triumpho glorientur Antagoniſtae,*

goniſtæ, pietatis, quæ hunc Beatum Virum ad urnam usque colo, neceſſitas me ſubegit, ut licet huic defenſioni debito modo perficiendæ ſim impar, coner tamen nonnullas pagellas in defenſionem Nominis Hertiani conſcribere. Etenim inter ſanctiſſima diſcipuli præceptori ſuo debita officia eſt, malorum hominum in Præceptorem ejecta convitia quomodocunque fieri poteſt, refellere. Unde valebit ad excuſationem meam ad minimum propoſiti integritas, non ex fœda aliqua oſtentatione, verum potius ex juſtiſſima indignatione ſuſcepti, ad quod me præter hæc ſimul animarunt, quæ aliquando apud Italum quendam Dan. Bartoli in tr. dell' Huomo di lettere Part. 2. p. m. 183. *legiſſe memini:* Ma quando ò l' importanza della materia, o l' inſoffribile accerbezza di chi provocò non laſcia che ſi taccia, ò diſſimuli, prendaſi ſeriamente la difeſa, e vi ſi adopri ciò che sà, e ciò che può l' ingegno, l' arte, la ragione & l' eloquenza. *Cæterum ſi non plus ad minimum hac Vindiciarum caſtigatione me præſtiturum ſpero, quod quilibet cordatus Lector poſt lectas noſtras qualeſcunque cogitationes liquidò ſit agniturus, hoc ſeculo non exſtitiſſe exemplum fœdioris calumniæ aut ſophiſticationis, quam quo dira illa Vindicis Hallenſis convitiandi rabies B. Hertium aſpergere auſa ſit. In tres autem diſtinctas Sectiones præſentem noſtram tractationem digeremus, quarum* Prima *ſuccinctam totius controverſiæ expoſitionem ſiſtet.* Altera *continebit caſtigationem Vindiciarum Hallenſium. Et in* Tertia *ſubjungemus quaſdam ſtricturas & animadverſiones in ſcriptum* [illegible] *Lombardii.*

SECTIO.

SECTIONIS PRIMÆ,

exhibentis

BREVEM CONTROVERSIÆ EXPOSITIONEM,

CONSPECTUS.

§. I. *Hiſtoria totius controverſiæ breviter exhibetur.*

§. II. *Eam non merè verbalem, uti quidem quidam exiſtimarunt, ſed realem eſſe demonſtratur.*

§. III. *Origo, natura atque indoles paragii ſuccinctè exponitur.*

§. IV. *Succedit principalis quæſtio:* An dentur Paragia in Germaniæ Principatibus, *eaque negatur, ac demonſtratur tum à* priori, *tum à* poſteriori.

§. V. *Hinc recenſentur omnes uſuata ſucceſſionis ſpecies in Germania Principatibus, & quidem initiò de Diviſione Territoriorum.*

§. VI. *Individuorum Principatuum varia iterum ſunt ſpecies. Omnium famoſior, quando ſolus primogenitus ſuccedit, datis cæteris apanagiis.*

§. VII. *Apanagium quid ſit traditur.*

§. VIII. *Varii modi apanagia conſtituendi in Germania conſueti.*

§. IX. *Hinc exponitur diſtinctio Apanagii in* proprium *atque* improprium.

§. X. *Refelluntur argumenta apanagium improprium impugnantium.*

§. XI. *Ad hos itaque recenſitos in Germania ſuccedendi modos, cum non referri poſſit paragium quomodocunque etiam explicetur, nunc infertur commentitiam eſſe diſtinctionem inter Paragia & Apanagia in Germania Principatibus atque Comitatibus.*

§. XII. *Unde ultimò deducitur, quàm noxia & detrimentoſa ſit doctrina peregrina de Paragio in Germania, quoniam hac admiſſa multa principia juris publici noſtri tolluntur.*

§. XIII. *Ratio tractationis ſequentis.*

§. I.

Antequam ad caſtiganda futilia Antagoniſtarum ſomnia accingimur, operæ pretium erit quædam præmittere, ex quibus B. L. quod revera in controverſiam venit, eò dilucidius perſpicere poſſunt. Hiſtoriam verò totius controver-

ſiæ atque doctrinæ de Paragio applicatæ à Scriptoribus quibusdam Juris publici ad Principatus Imperii Romano-Germanici nunc ultra tempora ſcriptumque Famigeratiſſimi JCti Schilteri de Paragio & Apanagio editum non repetamus. Qui enim in remotiora tempora abeunt, provocantes ad Tiraquellum, Betſium, Springsfeldium, quos pro primis autoribus invectæ hujus vocis in Germanicam Jurisprudentiam publicam venditant, revera id non agunt, ut controverſiæ hiſtoriam ex primis principiis deducant, verum potius ut occaſionem arripiant, totas paginas ex illis Autoribus exſcribendi, quo eo vaſtiores parturiant opellas, nonniſi alienarum rerum intermixtione prægnantes. Nam infr. *Sect. II. cap. 1. ad §. 3.* dilucidè probabimus, nec Betſium nec Springsfeldium primævos hujus applicatæ doctrinæ de Paragio ad Principatus Germaniæ eſſe autores, ſed ſolummodo Schilterum. Quid verò cauſarum ſubfuerit, quibus Schilterus permotus, exterum huncce terminum ejusque doctrinam, in ſcriptis publicis pragmaticis & jure noſtro publico incognitam inauditamque civitate Germanica donare, non eſt ut nunc inquiramus. Magis videtur inſtinctus quorundam Principum Apanagiatorum, Superioritatem Territorialem ſuorum primogenitorum invidioſis oculis ferentium, quam amor veritatis author hujus ſcripti exſtitiſſe, id quod memoriam illorum temporum contentionumque conſulenti adeò obſcurum & dubium non erit. Ut itaque Principibus Apanagiatis parilem poteſtatem cum primogenito affectantibus, gratificaretur Schilterus, nihil videbatur magis ipſius ſcopo conducere, quam ſi doctrinam de Paragio, quod ſolis Gallis in uſu eſt, ad Principatus Germaniæ transferret, nec tantum diſtinctiones inter paragia & apanagia, verum etiam certas ſpecies paragii fingeret, quæ in Germania in luculento atque frequenti uſu eſſent, omnia eum in finem, ut ſuæ novæ hypotheſi eo majorem adſpergeret colorem. Remorari verò videbatur aliquantopere ipſius intentionem ſcriptum Springsfeldii de Apanagio, & præprimis illa diſtinctio inter Apanagium Proprium

atque

 128

atque Improprium. Quæ enim Schilterus volebat ad Paragiorum claſſem referre, illa Springsfeldius ad Apanagia Impropria rejecerat. Proinde omni modo eo enitebatur Schilterus, ut vanitatem hujus diſtinctionis ceu ſcopo atque intentioni ſuæ adverſæ, monſtraret. Sed conatibus Schilteri obviam ivit B. Dn. HERTIUS in edita diſſertat. *de Commentitia Paragii & Apanagii diſtinctione in Romano-Germanici Imperii Principatibus profanis & Comitatibus*, in qua ex genuinis principiis juris publici noſtri oſtendit, malè impugnari diſtinctionem Springsfeldii inter Apanagium *proprium* atque *improprium*, ſimulque exploſit ſpecies paragii Germanici à Schiltero allatas, quas vel ad apanagiorum claſſem pertinere, vel alio jure cenſendas eſſe, egregiè docuit. Licet itaque hæc diſſertatio ea infelicia fata paſſa ſit, ut inciderit in manus quorundam malevolorum ſimulque imperitorum hominum, nonniſi meris cavillationibus atque ineptiis eam impugnantium; tanta tamen horum imbecillibus conatibus nunquam ineſt efficacia, ut poſſint Hertianis ſcriptis, quæ in admirationem rariſſimæ eruditionis jam pridem univerſum orbem literarium rapuerunt, applauſum peritiorum, gloriamque perennem adimere.

§. II.

Ante omnia verò ea noſtra debet eſſe ſollicitudo, ut priusquam ipſum controverſiæ cardinem attingimus, erroneum, quem multi haud indocti alias Viri de hac diſceptatione ſibi formarunt conceptum, tollamus. Illi animadvertentes B. Dn. HERTIUM pleraſque ſpecies appellare apanagium improprium, quas Schilterus paragium vocat, exiſtimarunt, hanc contentionem intra ſola vocabula hærere, omnibus realibus effectibus deſtitutam. Verum uti mihi ſemper viſum eſt, fuere hæc judicia eorum, qui rem perſpectam non habent, quique quod revera in contentione eſt, ignorant. Etenim multum intereſt, an Princeps ſit Paragiarius, an Apanagiatus impropriè talis, id quod ipſe Vindex Hallenſis diffiteri non potuit. v. infr. *Sect. II. cap. 1. §. 7.* Nam prioris conditionis

ditionis Principes ſecundogeniti, ſi qui in Republ. noſtra Romano-Germanica darentur, ii cum primogenito non tam paritatem dignitatis, quam etiam poteſtatis obtinerent, unde nullum alium quam Imperatorem recognoſcerent ſuperiorem, uti tradit Schilterus tr. *de Paragio & Apanagio §. 23. Paragium*, inquit, *& parilitas atque independentia de Jure Normannico & Francico durat usque ad ſeptimam generationem, qua finita etiam paragium finitur, & ſubjiciantur poſteri paragiatorum ſucceſſori primogeniti, præſtito homagio. At jure Germanorum publico usque in infinitum paragium durat, nec in minimo ſubjecti ſunt paragiati primogenito, ſed pari dignitate atque ſtatu gaudent.* Vellem ut Schilterus hoc jus Germanorum publicum, ad quod in *l. c.* provocat, demonſtraſſet, ſi enim de hoc liquido conſtaret, parum dubii de exiſtentia paragii in Germania nobis ſupereſſet. Sed uti in cæteris ſuis poſitionibus de differentiis Paragii Gallici & Germanici conceptis, ita quoque hic in terminis meræ aſſertionis ſubſiſtit, nullamque probationem ex principiis juris publici noſtri adducit, unde ejus authoritas vix tanta eſſe poteſt, ut nunc ſtatim ei fidem adhibeamus. Interim hæc æqualitas poteſtatis, quam ex diſpoſitione Gallorum paragiariis tribuit Schilterus, non reperitur in Principibus ultragenitis, qui apanagium licet improprium tenent, i. e. qui ſplendidiorem præ aliis apanagiatis obtinent conditionem in eo, quod ipſis terræ, quas in apanagium tenent, ſimul regendæ concedantur, imò interdum in exercitio nonnullorum jurium Territorialium cum primogenitis concurrant. Nam hi non minus ut alii Landſaſſii ſubſunt primogeniti Superioritati Territoriali, ut infr. pl. adhuc oſtendemus, præſertim in *Sect. II. Cap. 2. ad §. 9.*, non obſtantibus, quod prædictis eximiis juribus ſecundogeniti gaudeant, v. quæ diximus in *hac Sect. §. 9.* aut quæ Schilterus *in f. §. ſupr. all.* ſubjicit: *Quod etiam de apanagio verum eſt; ſicut enim cohæres in cohæredem nullam habet poteſtatem, ita nec hæres in alimentarios.* Nam primogenitus dans ſecundogenitis apanagia, non ſpectatur ut nudus hæres, verum potius ut regionis

domi-

Digitized by Google

dominus, habens Superioritatem Territorialem, vi cujus omnia ſibi ſubjecta tenet, quæ ſunt in ejus territorio, juxta vulgatam regulam: *Quicunque eſt in territorio, cenſetur eſſe etiam de Territorio, adeoque ſubjectus Superioritati Territoriali.* v. Illuſtr. Dn. Coccejus *in Jur. publ. Prudent. cap. 27. §. 15.* En itaque notabile diſcrimen inter Paragium & Apanagium impropriè tale, ex quo dum ſimul quam plura alia ſingularia Conſectaria fluunt, liquido nunc apparet, præſentem diſceptationem ad logomachias non eſſe referendam, ſed eam in graviſſimis controverſiis inter primogenitum atque ultragenitos haud rarò intercedentibus inſignem præſtare uſum practicum & deciſivum.

§. III.

Ut verò erudito Lectori inconveniens illa applicatio paragii ad Principatus Germaniæ eò clarius in oculos incurrat, è re omninò erit, paucula ſaltem de *origine* & *natura* Paragii antemonere. Paragium non tam quoad nominis impoſitionem, verum etiam quoad indolem atque naturam ſuam Gallicæ originis eſſe, nemo eſt qui dubitat. Nam barbara latinitate demum dictum eſt *paragium*, quod Galli in lingua ſua primitus vocarunt *parage.* De origine appellationis vide quædam *in Sect. II. cap. I. ad §. 10.* Naturam paragii eleganter ex Patriæ legibus deſcripſit Argentræus in *Comment. ad Conſuetud. Ducat. Britann. ad art. 259.* cujus locum propterea adſcribere libet: *Le vray & formel parage eſt, quand un ainé baille à ſon frere puiné ſon parage, & le recoit à homme de certaine terre ou fief, eſtant le bailleur, & le preneur en pareil degré de ſang, & de cette parité s' appelle le parage: car cette nature de teneure ne doit nul devoir, fors l' hommage, s' il n'ya expreſſion de convention autre, & n' emporte ny haute juſtice, rachapt, ny vente, ny profits caſuels ſur le puiné ou juveigneur. Et conſiſtent les devoirs de cette teneure en reverences & deferences perſonelles ſeulement, qui ſont contenües en l' Article 313. Conſuetud. Ducat. Britann. juſques au 322.* Nimirum Illuſtres familiæ in Gallia tam quæ majora feuda ſcil. Comi-

Digitized by Google

tatus aut Ducatus, tam etiam quæ minora feuda poſſederunt, omni ævo conſervationi ſuarum familiarum ſtuduerunt, & ne repetita ſæpiſſimè bonorum diviſione in plures claritas illius familiæ per inopiam rei familiaris obſoleret, omni modo diviſionibus obſtiterunt. Proinde *majora* Gallorum feuda nulli prorſus partitioni obnoxia fuere, uti teſtantur Marcus *deciſ. 335.* Boer. *deciſ. 204.* Guido Papa *deciſ. 476.* Hinc Petrus de Vineis *L. VI. ep. 25.* ſcribit: *Francorum* (ſcil. occidentalium) *jus eſſe, quod major natu excluſis minoribus fratribus & cohæredibus in caſtro ipſo ſuccedat, inter eos nullo tempore dividendo.* Interea tamen licet moribus Gallorum ſucceſſio in feudis majoribus ad ſolum primogenitum devolvatur, non tamen prorſus à tota hæreditate ſecundogeniti citra juſtam cauſam arceri poterunt, alias hæc eſſet lex Tyrannica, ipſi legi Naturali adverſa, quæ nec ab aliquo religioſo ſummo Imperante introduci poteſt Mynſing. *Cent. 5. Obſ. 43.* Gail. *L. II. Obſ. 122. n. 11.* Quapropter certa pecuniæ ſumma ultragenitis annuatim à primogenito in Gallia præſtari ſolet, præter quam nil amplius accipiunt, natu majore in univerſum jus ſuccedente. Locuples eſt teſtis Otto Friſingenſis *L. II. de Reb. Geſt. Frieder. c. 30. Mos in illa* (Burgundia) *qui penè in omnibus Galliæ provinciis ſervatur, remanſit; quod ſemper ſeniori fratri ejusque liberis ſeu maribus ſeu fœminis paternæ hæreditatis cedat auctoritas: cæteris ad illum tanquam ad Dominum reſpicientibus.* De ſingulari ſucceſſione in Comitatu Flandrenſi refert Lambertus Schaffnaburgenſis *lib. de reb. geſt. German. In Comitatu Balduini ejusque familia id multis jam ſeculis ſervabatur, quaſi ſancitum lege perpetua, ut unus filiorum, qui patri potiſſimum placuiſſet, nomen patris acciperet, & totius Flandriæ principatum ſolus hæreditaria ſucceſſione obtineret: cæteri verò fratres aut huic ſubditi, dictoque obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregrè profecti magis propriis rebus geſtis florere contenderent, quam deſidiæ ac ſocordiæ dediti egeſtatem ſuam vana malorum opinione conſolarentur.* Circa ſucceſſio-

ſucceſſionem verò in feuda *minora* in nonnullis Galliæ provinciis videlicet in Ducatu Britanniæ & Nortmanniæ aliisque v. Tiraquell. *de jur. primogenit. qu. 42. pr.* id juris obtinuit, ut feuda non pro æquis partibus dividantur, ſed major natu beſſem capiat, cæteris verò quippe natu minoribus trientem relinquat, & quidem hac lege, ut hi ipſi eorumque deſcendentes usque ad ſextum generationis gradum pari dignitate & titulo ſuas portiones teneant, poſteri verò eas à primogeniti hæredibus recognoſcant, quibus modis etiam non parum conſervationi familiarum proſpexerunt. Hæc nunc ſucceſſionis ſpecies, quæ ex dictarum provinciarum moribus unicè ſuam originem trahit, vocata eſt *paragium*, quod animadvertente Renato Choppino *de Domanio L. II. Tit. 3.* è vetuſto Gallorum ritu depromptum literis mandavit Joh. Butlerius in patriarum legum codice *c. 28. 30. 35.* poſt Petrum Fontanum in libro *de Francica praxi* nondum edito. Cæterum dum in quibusdam Galliæ terris hoc ſuccedendi modo uti cæperunt familiæ-Nobiles, dubium planè nullum eſt, quin illi certa atque legitima ſimulque ab aliis ſucceſſionis ſpeciebus diſtincta forma ſit indita, quemadmodum id clarè pateſcit ex ſingularibus juribus inter primogenitum & paragiarium intercedentibus, diverſis planè ab iis, quibus apanagiati gaudent, quæ maximam partem jam intelligi poſſunt ex deſcriptione Argentræi in *pr. h. §. all* & diſtinctius ſunt determinata in Conſuetudin. Ducat. Britann. *art. 313. usque ad 322*, quos politiſſima expoſitione adumbravit laudatus Argentræus. Add. Carolus Cangius *in Gloſſar. voce Paragium.* Nobis nunc ſufficit expoſuiſſe, in quo natura paragii conſiſtat, & oſtendiſſe, eam ſolummodo ex Gallia ortum ſuum trahere, nec in feudis Gallorum majoribus, aut in omnibus Galliæ provinciis, ſed tantum in minoribus, & quibusdam ſaltem Galliæ locis obtinere, quæ nunc multum lucis ſequentibus tradendis dabunt. Illud adhuc circa varium vocis paragii ſignificatum ſubjiciendum, in Conſtitutionibus Neapolitanis atque Siculis per paragium denotari illam portionem, quam

dotis vel legitimæ nomine capiunt filiæ, à ſucceſſione bonorum per Statuta aut Conſuetudinem excluſæ. v Andr. Iſerna *in Conſtit. Neapol. Conſt. 3.* Matth. d. Affl & *Deciſ. Neapol. 160. 162.* Add. B. Dn. Stryk. *tr. de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 8. c. 11. §. 4.* Atque hoc in ſenſu ſumta voce paragii, integra diſſertatió de Paragio habita exſtat *Witteberga Anno 1697.* ſub Præſidio alicujus Equitis Luſati Dn. à Minkvviz. Interim hoc paragium toto cœlo à Gallorum modo memorato differt, quanquam in illis Galliæ locis, ubi paragiorum uſus exiſtit, etiam ſorores à primogenitis accipiant paragia, quorum tamen diverſa eſt indoles ab iis, quæ fratres tenent, ut conſtat ex Legibus Ducat. Britanniæ *art. 327.*

§. IV.

Viſis in *§. praced.* paragium eſſe inſtitutum Gallorum, & ex eorum determinatione certam ſuam naturam accepiſſe, ſuccedit nunc palmaria quæſtio: *An paragia etiam in Germania Principatibus obtineant?* Si Beſii relationi credendum eſſet, vix eſt, ut hoc negare poſſimus. Nam ille *in tr. de Pact. famil. Illuſtr. c. 8.* refert, *ſe comperiſſe in Germania quasdam familias illuſtres uſas fuiſſe paragii jure, non tamen in iisdem aut paribus hareditatis partibus, neque ad tempus aut perſonas deſcendentium reſtricto, ſed perpetuo.* Enimvero ſi quas limitationes idem Beſius ſubjunxit, conſideremus, apertè conſtat, indolem paragii, quam in præcedentibus ex moribus Gallorum delineavimus, planè non habere jus, quo quasdam familias Germaniæ uti ſcribit, quemadmodum hoc jam ante nos obſervavit Dn. à Minkvviz *in d. diſſ. de Paragio §. 4.* Equidem qui ex Schilteri caſtris ſunt, nunc regerunt, ſe non diffiteri, paragia Germanica à Gallorum differre, id tamen non obſtare, quo minus paragiorum uſus in Germania ſit. Aſt liceat mihi nunc ex iis percontari, unde paragia illa Germanica acceperint ſuam determinatam naturam. Sanè quemadmodum paragia primitus à Gallis inventa, nec non jura paragiorum certa ab iisdem condita eſſe audivimus, ita quoque non minus paragia Germanica, ſi quæ ſunt, debent ex inſtituto

tuto

tuto Germanorum provenire, & in Jure publico noſtro Romano-Germanico firmum fundamentum habere. Monſtret autem mihi nunc quis ex Legibus noſtris Patriis indolem Paragii Germanici. Schilterus quidem paſſim ad eas provocat, verum non allegat, quod magnum indicium malæ cauſæ eſt. Quamdiu autem hoc demonſtrari nequit, tamdiu omnem paragii Germanici in Germania exiſtentiam merito negamus. Etenim quæ ex uſitatis noſtris juribus publicis liquido adſtrui non poſſunt, ea neminem obligare, tyrones ſciunt. Equidem exiſtimat Schilterus d. tr. *§. 8. & §. 13.* paragium in Germania fluere ex juris primogenituræ introductione, quippe quod tum apanagium, tum paragium admittat. Verum hæc Schilterus nudè aſſerit non probat. Nam certum eſt, poſito paragio, tolli jus primogenituræ, ea ſcilicet ex ratione, quia per conſtitutionem paragii dividitur territorium, & quilibet conſtituitur regionis dominus, ut jam *ſupr. §. 2.* ex Schiltero oſtendimus, quæ omnia ſane pugnant cum primogenitura, quippe cujus eſſentia conſiſtit in indiviſibilitate territorii, atque Superioritatis Territorialis. Quæſo quem alias in finem inducitur jus primogenituræ, quam ut maneat territorium indiviſum? Ubi autem diviſio obtinet, ibi neceſſe eſt tolli jus primogenituræ, cujus eſſentia non in eo ſuſtentatur, quod primogenitus majores atque plures præ ultragenitis obtineat partes, ſi quidem illi ſuas partes æquali jure uti primogenitus tenent, quo caſu realis facta eſt diviſio cum Superioritatis Territorialis jure, etſi portionibus inæqualibus, add. quæ diximus *in §. ſubſequ. 5.* Atque licet hæc ſucceſſio in portiones inæquales aliqua ſuperficiaria ratione convenire videatur cum paragio Gallico, dubito tamen haud ſine fundamento, an nunc ex illa convenientia ſtatim paragii exiſtentia in Germania demonſtrari queat, ad eum effectum, ut nunc ſecundogenitus judicetur ſecundum jura paragiorum in Gallia uſitata. Nam ut jam dictum, noſtræ leges patriæ ignorant prorſus paragiorum indolem, nec quicquam de iis diſpoſuerunt, unde poſſent Paragia Germanica appellari, imò ut

 etiam

etiam demonſtratum, eorum conditio, quam habent apud Gallos, contrariatur recepto juri primogenituræ, niſi forſan illa in Germania etiam in hoc puncto diverſa ſit, quod tamen vix adſtruent diſſentientes, alias non obtenturi id, cujus gratia doctrinæ de Paragio uſum in Jurisprudentia noſtra publica adeò acriter defendunt. Tacentibus autem juribus, quibus Reſpublica noſtra regitur, an nobis privatis nunc datum, ut propter externam aliquam convenientiam poſſimus jura peregrina, quæ ultra ſuum territorium, in quo lata non obligant, ad caſus ſimiles ſtatim pro lubitu applicare, præſertim ſi ea applicatio fiat invitis receptis juris publici noſtri principiis. Præterea quanta forſan ſimilitudo fingi poſſet, tantæ non minus diſſimilitudines adſunt. Etenim paragia in Gallia tantum in feudis locum habent, v. Argentr. *in Comment. ad mor. Ducat. Britann. art. 315.* ſed multa in Imperio noſtro allodiali jure tenentur, ita ut inter DD. brocardica ſit: *Ducatus & Comitatus potius allodiales quam feudales præſumi.* v. Conſil. Marpurgenſ. *Vol. 4. conſ. 37. n. 621.* Sixtin. *I. de Regal. 4 n. 62.* Eyben. *in Elect. feudal. c. 6. §. 6.* Add. Myler. *de Nomolog. Ordin. Imper. cap. 14. th. 8.* Deinde tantum in feudis minoribus hæc ſuccedendi ratio Gallorum moribus obtinet, v. *ſupr. §. 3.* proinde ad feuda noſtra majora non quadrat. Et poſito, etiam in feudis majoribus apud Gallos eam in uſu eſſe, cujus tamen rei exemplum vix afferri poteſt, ad Germaniam tamen ſe applicare non patiuntur jura paragiorum à Gallis condita. Nam quod in Gallia ſecundogenitus non ſubſit jurisdictioni primogeniti, forſan venit exinde, quia Duces & Comites talem Superioritatem Territorialem non habent qualem noſtri Principes in Germania, ubi illud vulgatum obtinet, quicquid eſt in territorio, illud etiam præſumitur eſſe de territorio & per conſequens ſubjectum Superioritati Territoriali. Neque illa paritas dignitatis, quam ſecundogenitus in Germania cum primogenito obtinet, exceptionem à dicta regula facit, quia ab hac ad paritatem poteſtatis congrua non fit illatio, idque inde evidenter illuſtrari poteſt, quando hodie fœminæ Principes

Comi-

Comitibus nuptæ priorem dignationem in titulis & inceſſu retinent, quas tamen mariti ſui non tantum quà talis, quàm etiam quà regionis Domini poteſtati ſubjici, ejusque ſubditam fieri certum eſt, licet ratione dignitatis marito ſuperior ſit. v. *pl. infr.* Et denique ſi non à priori ſufficienter probari poſſet, paragia in Germania locum non habere, à poſteriori id amplius comprobabitur, ſi nimirum reſpiciamus ad uſitatos in Germania ſuccedendi modos, quorum ne unus eſt, qui pro paragio cenſeri poſſit, niſi in terminis ludere velimus, & pro authoritate illa peregrina jura applicare, quod tamen in privatorum arbitrio non eſt.

§. V.

Principatus atque Comitatus Imperii noſtri Romano-Germanici *à modo ſuccedendi* ſunt vel *dividui* vel *individui*. Libet nobis nunc illam ancipitem DD. contentionem: *In qua tempora primæva diviſiones territoriorum Germaniæ ſint rejicienda?* non movere. Omninò H. Conringii ſententia, diſtinguentis inter tempora & res tanquam hiſtoriæ Germaniæ convenientior applauſum meretur, fruſtra eam impugnante Ludolpho *de Introduct. jur. primogenitur. Part. Gener. aph. XI.* de cujus hypotheſi quid ſentiendum ſit, v. *diſſ. de Diviſione regnorum vel quaſi Sect. II. §. 3. ſub Præſidio B. Dn. Hertii habita.* Id ſane extra omnem controverſiam eſt, diviſiones in Principatibus atque Comitatibus olim fuiſſe frequentiſſimas. Libet unum ſaltem ex antiquitate adducere teſtimonium. Sic refert Adlzreiterus *Part. 2. Annal. Bojic. L. VII. n. 7. An. 1423.* litem olim fuiſſe circa quinque annos inter hæredes Bojo-Hollandos de diviſione Bojicæ Straubinganæ ſive ſecundæ lineæ, quorum natu maximus invitis patruelibus voluit more Italorum, Hiſpanorum atque Gallorum hæreditatem ſtirpis Bojo-Hollandicæ ex aſſe ſibi aſſerere, excluſis ætate minoribus. Sed hi repugnaverunt, aſſerentes: *Id juris apud Germanos eſſe receptum; pares omnes pari portione hæreditatem adire conſueſſe, nulla habita ordinis naſcendi aut annorum ratione: ſingulis nationibus ſuas eſſe leges, ſe cum Germani ſint, Germanico jure majorum*

exemplo

exemplo uſuros. Pro quibus tandem etiam Imperator Sigismundus ſententiam tulit. Cœterum poſt Seculum decimum quintum diviſiones in Principatibus atque quibusdam Comitatibus adeò frequentes non fuere, ſed jus primogenituræ paſſim receptum eſt. Unde quoque hodie multi DD. uti Myler. *de Stat. Imper. c. 21*. Springsfeld. *de Apanag. c. 3*. Itter. *de Feud. Imper. c. 12. §. 11*. Klok. *Vol. 3. Conſil. 102. n. 21*. hanc generalem formant regulam: *In dubio jus primogenituræ hodie in Principatibus eſſe receptum.* Quod univerſale tamen pronuntiatum antiquum dividendi morem in hoc vel illo Principatu hactenus conſuetum vix tollet, niſi de receptione juris primogenituræ aliunde jam conſtet. Nam eſſe adhuc hodienum quosdam Principatus, qui ad mores antiquæ Germaniæ diviſiones retinuere exemplo Domus Saxonicæ & Anhaltinæ comprobat Sprenger. *in Lucern. Imper. c. 2. p. 183. & p. 189*. de Holſatiæ Ducatu v. H. Vultej. *Vol. III. Conſil. Marpurg. 35. n. 245.* Eſt autem diviſio Territoriorum Germaniæ *actus, quo Territorium uni hactenus rectori ſubjectum in plures pro numero hæredum ſcinditur partes, diverſisque ſubjicitur rectoribus, æqualem ac invicem diſtinctam poteſtatem in terras diviſas obtinentibus.* Atque hanc genuinam & adæquatam diviſionis Territoriorum definitionem eſſe comprobat H. Grotii elegans locus in *L. II. de J. B. & P. c. 9. §. 10. Si dividatur regnum, plura pro uno exiſtunt ſumma imperia cum ſuo jure in ſingulas partes*, i. e. quælibet regni diviſi pars æquali jure gaudet, nec una in aliam aliquid juris retinet, v. pl. d. diſſ. *de Diviſion. regnor. vel quaſ. Sect. III. §. 1.* Proinde ubi hi effectus non adſunt, ibi nec vera aliqua diviſio interceſſiſſe videtur. Quapropter licet datæ ſint ſecundogenito à primogenito certæ terræ regendæ ſalva tamen manente Superioritate Territoriali primogeniti, id diviſionis naturam non habet, ceſſantibus nimirum requiſitis, ad eſſentialem diviſionis conſtitutionem pertinentibus. In eo nihil diverſi eſt, an diviſio facta ſit in partes *æquales*, an *inæquales*; hoc enim pertinet ad modos dividendi accidentales, qui non variant ipſam rem, modò

alia

alia eſſentiam diviſionis conſtituentia ſimul rectè ſeſe habeant, i. e. modo ſecundogeniti portionem ſuam eodem jure tenendam accipiant, quo major natu ſuas partes poſſidet verbo: modo omnes fiant regionum Domini. Audiamus, quæ eleganter hanc in rem diſſerit ex praxi D. Seckendorffius *in Addit.* des teutſchen Fürſten-Staats *p. m.* 72. Noch eine ſonderbare Art einer Landes-Theilung befindet ſich in praxi, daß ein Land / wenn es zumahl groß / und von Alters her zu einer allgemeinen Regierung aus Schuldigkeit nicht gewidmet iſt / in ungleiche Theile geſetzet / und dem Aelteſten das meiſte / dem andern hinwieder unterſchiedliche portiones anderweit zugetheilet werden / entweder aus Teſtament eines Regenten und Stamm-Herrn / oder aus willkührlicher Vergleichung der Intereſſenten / und iſt mit denen regalien und Hoheiten hiebey auf zweyerley Weiſe verfahren worden / entweder und einmahl / daß ein jeder in dem ſeinigen ob gleich gröſſern oder geringern Antheil / für ſich allein / als Landes-Fürſt regieret / und mit den andern weiter nichts zu thun gehabt / es wäre dann etwa in etlichen / nach Gelegenheit der Lande / untheilbaren Stücken / als da ſind Seſſiones auf den Reichs-Tägen / Hof- und Appellation-Gerichte / Conſiſtoria, Univerſitäten / Bergwercke / Landſchaffts-Sachen / in welchen man offt eine Geſammtſchafft behalten; Oder zum andern / daß die Jüngere allzumahl dem Aelteren / als capiti familiæ, auch in ihren zugetheilten Landen etliche Stücke einräumen / als zum Exempel: die Krieges- und Friedens-Sachen / auch Seſſion und Vertretung auf den Reichs-Tägen und dergleichen. In beyderley Fällen nennen ſich gleichwohl mit allerſeits Belieben dergleichen vertheilte Fürſten wenigers nicht dann Landes-Fürſten / und exerciren auſſer den reſervaten alle Landes-Fürſtliche jura. Exempla harum inæqualium partitionum paſſim occurrunt. Sic in Domo Naſſovica-Dillenburgenſi ex diſpoſitione conventitia Principis Ludovici Henrici ſecundogenitus

genitus ditionem Drudorff cum omnimoda libera juriſdictione accepit. v. Sprenger. *Lucern. Imper. c. 2. p. 216.* Alia exempla v. ap. Limn. *ad A.B. c. 25. §. 2. obſ. 8.* Rhet. *diſſ. de proviſ. aliment. Principibus ultragenitis debita c. 1.* Memorabile inæqualis diviſionis exemplum exſtat in Domo Haſſiaca, quando olim Philippus Magnanimus Glorioſiſſimæ memoriæ Haſſiæ Landgravius inter quatuor ſuos filios Principatum dividit, attribuente primogenito *ſemiſſem*, ſecundogenito *quadrantem*, reliquis duobus *reſiduum quadrantem*, qui omnes propter ſuas terras peculiari voto in Comitiis uſi ſunt. v. Acta Haſſiaca *fol. 87.* Imhoff. *Notit. Procer. Imper. L. IV. c. 7. §. 9.* Æqualis vero diviſio non uno modo ſe habet, vel enim omnia dividuntur, aut quædam manent indiviſa, quæque vel *communi omnium Imperio ſubſunt*, vel *à ſeniore dependent*, uti eſt jus directorii, jus nomine omnium inveſtituram accipiendi, circularia & comitialia negotia expediendi &c. Sic cum Landgraviatus Haſſiæ in duas Domus regnatrices Darmſtadinam & Caſſellanam divideretur, indiviſa relicta ſunt judicium reviſorium, Archivum, conventus provinciales, Synodi & vectigalia. v. Reinking. *L. I. de R. S. & E. claſſ. 4. c. 17. n. 24.* Alia communionis particularis exempla deprehenduntur in Saxoniæ Ducatu, v. Sprenger. *Lucern. Imper. p. 112. ſequ.* in Domo Anhaltina, v. A. des Europäiſchen Herolds in des zweyten Abſatzes zwölfften Punct *p. 267.* & pleriſque aliis, quæ nunc brevitatis amore non recenſemus, modò conſtet, quid eſſentiam diviſionis conſtituat.

§. VI.

Individuorum Principatuum ac Comitatuum non una eademque figura eſt. In nonnullis fructus atque reditus territorii tantum inter hæredes dividuntur, ipſum autem Territorium poſſidetur pro indiviſo; daß allein der nießliche Gebrauch und Einkommen der Lande getheilet / aber das Fürſtenthum und deſſen hohe jura in einem corpore unzertreñt gelaſſen werden / ut loquitur Klokius *Tom. I. Conſil. 7. n. 209.* qualem diviſionem in

dubio

 134

dubio factam cenſeri exiſtimant Reinking. *de R. S. & E. L. I, claſſ. 4. c. 17. n. 16.* Schuzius *Vol. I. Coll. Jur. publ. D. VI. th. 27. lit.* (e) de quo tamen an moribus Germaniæ conveniens ſit dubitat Itter. *de Feud. Imper. c. 13. §. 13. in f.* Exempla hujus communis adminiſtrationis v. ap. Springsfeld. *de Apanag. c. 10. n. ult.* Add. Limn. *Tom. I. Addit. 1. 9. n. 96. p. 76.* Inter ea an quoque rectè referatur Landgraviatus Haſſiæ nunc in duas diſtinctas Domos regnatrices diviſus dubito ex rationibus in ſequentibus datis, licet Oldendorpius JCtus quondam Haſſiacus Celeberrimus *Vol. II. Conſil. Marpurg. 5. n. 97.* exiſtimaverit, ditionem Haſſiacam tantum quoad adminiſtrationem & emolumenta eſſe diviſam. In aliis Principatibus id moris fuit, ut commune ſit toti familiæ regimen, uno tamen eoque majore conſtituto adminiſtratore. Myler. *de Principib. & Statibus Imper. cap. 23. §. 5.* Exempla v. ap. Springsfeld. *de Apanag. c. 2. n. 20.* Add. omninò Dn. Seckendorff. teutſchen Fürſten-Staat *P. 2. c. 3. §. 3.* Aliis Illuſtribus familiis hæc regiminis ratio placuit, ut circa adminiſtrationem alternent, daß die Länder mit aller Hoheit/ jedoch nicht in gleiche Theile/ ſondern nur Oerterung oder Nutzſchierungs-Weiſe geſondert werden / ut loquitur Dn. Seckendorff. *d. l.* Exempla hujus viciſſitudinariæ adminiſtrationis v. ap. Goldaſt. *de Major. c. 31. n. 21.* Sprenger. *in Ellychn. p. 307. ſequ.* Obiter id addendum, magnum errorem Springsfeldii eſſe, hoc regiminis genus referentis ad claſſem apanagiorum impropriè talium, cum quilibet primo ſtatim aſpectu intelligat, nihil neque de eſſentia neque de natura apanagii id participare. v. Id. *cap. 2. de Apanag. n. 9. 10.* Aliam individuæ Reipublicæ ſpeciem ſub exemplo refert Forſtner. *ad XV. Annal. c. 5.* Cœterum libet ex recenſitis hucusque variis individuarum Rerumpublicarum ſpeciebus ſequentes duas prægnantes obſervationes annotare. ***PRIMA:*** *Pro diviſione territoriorum nunquam haberi poſſe, licet forma regiminis aliquam diviſionis umbram habeat.* ***SECUNDA:*** *Indiviſibilitatem Territorii judicari ex indiviſa Superioritate Territoriali.* Sanè diviſio

C 2 emo-

emolumentorum, adminiſtrationis, nudaque ſeparatio terrarum nullam inducunt veram diviſionem, qualem *in §. praeced.* definivimus, quia hisce in caſibus manet una regnatrix Domus, ex diviſione verò propriè ſic dicta tot regnatrices Domus quot dividentes adſunt, promanant. Præter allatas individuorum Principatuum Comitatuumque Germaniæ ſpecies reſtat adhuc una, eaque omnium videtur eſſe præſtantior, ſcilicet quando ſolus primogenitus excluſis reliquis ſuccedit, & regimen totius territorii ſolus obtinet. Atque hæc regiminis forma, uti ipſi Reipublicæ præ omnibus aliis maxima commoda affert, ita quoque hodienum in Germania eſt uſitatior atque frequentior. Vix enim multos allegaveris Principatus vel Comitatus, qui non hodierna ætate maximo publico bono receperint jus primogenituræ. Exempla v. ap. Leiſer. *diſſ. de Apanagio §. 25. 26. 27.* Itter. *de Feud. Imper. cap. 12. §. 15. 16.* Denique adhuc una eaque ſingularis & quidem inter diviſionem & primogeniam ſucceſſionem interjecta ſpecies in nonnullis Principatibus videlicet Landgraviatu Haſſiæ, & Ducatu Mecklenburgico occurrit, in quibus inter duos natu maximos fratres totum territorium dividitur, reliquis mediante certa annua aſſignatione à gubernatione excluſis. v. Myler. *de Princip. & Stat. Imper. cap. 23. §. 4.* B. Dn. Hert. *diſſ. de Special. Roman. German. Imper. Rebusp. Sect. 2. §. 16.*

§. VII.

Cœterum ne ſecundogeniti in caſu ſucceſſionis primogeniæ ſine re & ſolatio diſcedere teneantur, primogeniti non tam ex dictamine rectæ rationis, quam etiam ex conſuetudine moratiorum gentium, ac Germaniæ tenentur illis certam portionem vel in terris vel in pecunia prout pacta familiæ exigunt attribuere, quam Germani vocant Abfindung / Abtheilung / deputat, & barbara latinitate *apanagium*, quæ vox licet quoad originem ex Gallico vocabulo *apanage* (quicquid alii ſomnient ex lingua Germanica hunc terminum derivantium v. AA. ap. Leyſer. *de Apanagio §. 3.*) deſcendat, & apud nos in uſu loquendi adhibeatur,

pro-

propterea tamen non eſt exiſtimandum, ac ſi Galli ſint primi Conditores apanagii, aut nos recepto hoc vocabulo ſimul jura apanagii in Gallia uſitati receperimus. Nam uti jus primogenituræ eſt inſtitutum vetuſtiſſimum, ita non minus antiquior eſt mos dandi ſecundogenitis certam portionem in legitimam ſuſtentationem. v. Rhetius in eleganti diſſ. *de Jur. portionis alimentar. filiis Principum ultragenitis debita c. 1. n. 2. junct. n. 17.* Eſt autem APANAGIUM ſecundum mentem B. Hertii *penſio, quam primogenitus, vel qui de ejus familia eſt, Superioritatis Territorialis compos in pecunia vel reditibus ex certa regionis particula ultragenito hujusve hæredibus præſtat.* Ab hac definitione non eſt diverſa, quam dedit Illuſtris Dn. Coccejus, Magnus JCtus & citra dubium hodiernorum Publiciſtarum Princeps, in ſua erudita Juris publici Prudentia *cap. 17. §. 10. Apanagium,* inquit, *eſt portio bonorum primogenituræ ſubjectorum, cæteris liberis maſculis, quibus ſuccedendi ſpes eſt, ad tuendam interim dignitatem debita.* Unde nunc facilè judicari poterit, Springsfeldii deſcriptionem nimis obſcuram atque inſufficientem eſſe, quando ille apanagium definiit *per aſſignationem proviſionalem alimoniæ Principibus poſtgenitis factam. v. c. 1. de apanag. n. 47.* Nam præterquam quod vocabulum proviſionis nimis ambiguum ſit, in eo maximus definitionis Springsfeldianæ defectus conſpicitur, quod eſſentia apanagii (quæ qualis ſit v. §. 9.) non ſit luculenter expreſſa. An rectè apanagium à quibusdam per *uſumfructum* definiatur, dubito, ſiquidem intelligatur uſusfructus Romanus. Aſt ſi ſumas uſumfructum in ſenſu juris Teutonici, qualis eſt ille, quem Vaſalli habent, non adeò contrarius eſſem. Quo reſpectu etiam à Feudiſta *2. Feud. 23.* Feudum per uſumfructum eſt definitum. Imò ſolent à Juris publici Univerſalis DD. ea regna, quorum alienatio Rectori eſt adempta, Uſufructuaria appellari, v. H. Grot. *L. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 12.* quo intuitu utique rectè dicitur, apanagiatos in terras in apanagium ſibi conceſſas, habere non niſi uſumfructum, quippe deficiente prole maſcula ipſis non competit facultas de

 apana-

apanagio teſtandi & ad alium transferendi, ſed hæ terrarum particulæ eo caſu iterum cum primogeniti univerſo territorio conſolidantur, cujus pars jam antea fuerunt. Cœterum circa modum conſtituendi apanagia omnium regnorum conſuetudines variant, proinde circa quantitatem ac qualificatam conditionem nil certi determinari poteſt, nec unius regni aut familiæ placita allegari poſſunt tanquam lex, ad quam aliæ ſeſe accommodari debeant, ſed hoc dependet ex cujusvis regni atque Principatus libera diſpoſitione, antequam in eo circa hoc nondum aliquid eſt determinatum. Unde conſtat, quod *cauſa Efficiens remota* apanagii ſit ipſum jus primogenituræ, *proxima*, vero eadem eſt cum primogenituræ cauſa. Nam prout variis modis ipſum jus primogenituræ introducitur, ita quoque iisdem apanagium v. Illuſtr. Dn. Coccej. *d. l. §. 11.*

§. VIII.

Quantum verò ſi illud ſtatim in conſtitutione apanagii determinatum non ſit, de jure Naturæ primogeniti natu minoribus dare teneantur, item quantum in exteris regnis moris ſit tribuere ſecundogenitis, non eſt, ut nunc inquiramus, nobis jam ſatis erit, ſi cognoverimus, quot apanagiorum Germanicorum variæ ſint figuræ atque conditiones. Horum autem omnis differentia provenit ex varietate *objecti*, ſivè rerum, in quibus penſio præſtatur. Nam aut *in pecunia* vel *annuis reditibus*, aut *in certa terrarum portione* apanagia conſtitui in Germania hactenus conſuevit, quemadmodum hujus rei locuples eſt teſtis ſæpe laudatus Dn. Seckendorffius *d. tr. P. 2. cap. 3. n. 1.* qui locus cum ſit valdè elegans, integrum huc adſcribamus: Bey denen teutſchen weltlichen Fürſtenthümern und Landen iſt dieſer merckliche Unterſcheid wohl in acht zu nehmen / daß bey vielen / wenn der Landes-Herr etliche Söhne und Erben verläſſet / dennoch keine Theilung vorgehet / ſondern die Regierung der Länder in geſammt behalten wird / und allezeit dem **Erſtgebohrnen allein** zukommt / dergeſtalt / daß er ſeinen Brüdern

dern und deren Nachkommen entweder ein bloſſes Geld zu jährlichem Unterhalt / oder etwas an Aemtern und Herrſchafften zu Nutzen eingiebet / und ſie alſo vom Lande abtheilet / und findet / ſich aber alle Landes-Fürſtliche Hoheit darüber vorbehält / oder doch nur etliche wenige Stücke verſtattet / &c. Atque hiſce dictis amice adſpirat quotidiana experientia. Ita in Sereniſſima Domo Brunſvvicenſi ultrageniti certam pecuniæ ſummam accipiunt, v. Sprenger. *Lucern. Imper. p. 215.* nec minus in Sereniſſima Domo Brandenburgica, ut refert Limn. *ad A. B. Tit. 25. §. 2. obſ. 4.* In Sereniſſima Domo Haſſiaca habent primogeniti electionem, an in pecunia aut in terris debitam portionem præſtare velint. Vice verſa in Ducatu Wurtembergico apanagiatis eſt optio, an in ære an verò in immobilibus quotam accipere velint. v. Sprenger. *d. l.* Intuitu formæ ſeu qualitatum, quibus ſecundogenitis debita ſua portio conceditur, videtur etiam eſſe aliqua differens ratio. Nam quando portio conſiſtit in pecunia aut annuis reditibus, videtur ea indolem meræ tantum alimentationis & uſusfructus perſonalis habere, quæ verò in terris aſſignatur, qualitatem diviſionis ſimulque adjecti dominii affectat, uti Schilterus docet. Quæ differentia an firmum habeat fundamentum, nunc adeò non diſquirimus, id ſaltem monentes, ex ea nimis imbecille argumentum ad ſtabiliendum paragium in Germania à diſſentientibus ſumi. Nam licet paragia in Gallia fiant per modum diviſionis, & dominium terrarum datarum tranſeat quoque in ultragenitum, tamen non ſtatim ſequitur, indolem paragii habere, quoties ſimilibus modis (non tamen æqualibus) portionem ſuam in Germania ultrageniti accipiunt. Quandoquidem in præcedentibus jam pluribus eſt demonſtratum, paragium à ſolis Gallis habere ſuam determinatam naturam (quod ſcil. illud ſit, quando per modum diviſionis, jure dominii atque æquali cum primogenito jure partem feudi minorem accipit ultragenitus) eosdemque Gallos multa peculiaria jura circa illud conſtituiſſe,

ut

ut patet ex §. 3. *ſupr.* quæ non poſſe pro lubitu applicari ad obvenientes ſimiles in Germania caſus, non tantum propterea, quod intuitu noſtræ Reipubl. Statuta Gallorum ſint jus aliquod peregrinum, verum etiam quia multæ inter paragium Gallicum, & hanc conſtitutionem apanagii in terris intercedunt diſſimilitudines, quarum quædam jam ſupr. §. 4. adductæ, quibus nunc addi poteſt adhuc illa, quod eſſentiam diviſionis non habeat, quoties in Germania noſtra ultrageniti conſequuntur certam terrarum partem, quam tantum adminiſtratorio jure eosdem tenere, ex iis quæ ſupr. §. 5. 6. de eſſentia diviſionis prolixè diſſeruimus conſtat. Non obſtantibus, quod Generoſus Dn. à Seckendorff. *l. all.* adhibeat terminum abgetheilet / imò in ſcriptis publicis pragmaticis hujus conditionis apanagiati vocentur abgetheilte Herren / quia ex ſolis vocabulis nullius genuina rei natura atque conditio dijudicari poteſt, præſertim ſi cum iis propria ejus indoles non convenit. Neque eam mentem Domini Seckendorffii *d. l.* eſſe, ac ſi exiſtimet, diviſionem territorii per conſtitutionem apanagii in terris fieri, ex iis liquido apparet, quando tantum jus utendi i. e. utile dominium *v. §. præced.* apanagiatis in eas terras tribuit, & Superioritatem Territorialem etiam in ultrageniti portionem penes primogenitum remanere ſcribit. Ne nunc afferam, vocabula abgetheilte und abgefundene Herren in pactis atque teſtamentis Illuſtrium promiſcuè ſumi, ita ut tales etiam dicantur, quos apanagiatos propriè tales eſſe nemo eſt, qui dubitat. Conf. Myler. *de Princip. & Stat. Imper. c. 22.* Textor. *Jur. publ. Stat. Imper. Tit. I. n. 75.* & *Tit. IX. n. 37.* Add. locus Seckendorff. *ſupr. all.*

§. IX.

Cœterum propter hanc variam apanagiorum Germanicorum indolem & conditionem, melioris doctrinæ gratia quidam DD. & quidem omnium primus Springsfeldius, apanagium diſtinxere in *proprium* atque *improprium*. Quæ diſtinctio omninò optimo fundamento nititur, ac fruſtra à Schiltero cæterisque diſſentientibus pro merè chimærica, foliusque Springsfeldiani

cerebri

Digitized by Google

crebri invento habetur. Licet enim Springsfeldius primus author hujus diſtinctionis exiſtat, tamen jam ante eum illa in ipſis rerum argumentis obtinuit. Illud verò appellari ſolet apanagium *proprium*, *quod perfectam eſſentiam communemque apanagii naturam retinet.* Eſſentia autem apanagii conſiſtit in eo, quod qui illud conſtituit, debeat eſſe ſolus regionis Dominus, ipſiusque Superioritas Territorialis ſit indiviſa, integra, ac ſecundum omnes partes illibata. Etenim ideò introductum eſt in regnis jus primogenituræ, cujus conſequens eſt conſtitutio apanagii, ut evitentur mala tum ex communione, tum ex diviſionibus promanantia. Ubi itaque penes ſolum primogenitum non eſt regimen territorii, ſed hoc vel eſt cum cæteris commune, aut per partes ſcil. *ſubjectivas*, ut loquitur H. Grot. *L. I. de J. B. & P. c. 3. §. 17.* diviſum, ibi omnis juris primogenituræ & apanagii eſſentia deficit. Unde apparet error Springsfeldii jam *ſupr. §. 6.* notatus, qui viciſſitudinariam regiminis adminiſtrationem annumeravit apanagio improprio, item Limnæi *ad A. B. c. 25. §. 2. obſ. 11.* Sprengeri *in Adject. ad Lucern. p. 602.* aliorumque DD. apanagium improprium appellantium, quoties ſecundogeniti certam terrarum portionem cum omnibus regalibus, prærogativis, reditibus, commodis eo jure quo natu major regionem poſſidet, conſequuntur, primogenito manente capite familiæ. Quis enim non videt in priori caſu obtinere communionem, in altero veram diviſionem, quibus poſitis locus non eſt apanagio. Add. Dn. Seckend. *l. ſupr. §. 5. all.* Communis autem natura apanagii ea videtur eſſe, quod ſecundogenitis non plus tribui ſoleat quam quod ad legitimam eorum ſuſtentationem pertinet, excluſis prorſus ab omni regimine. Verum hæc naturalia non ita inſunt apanagio, quin ſalva ejus eſſentia contrahentium voluntate mutari queant. Hinc apanagii eſſentiam non minus retinet, licet *ultragenitus portionem ſuam accipiat in terris cum jurisdictione particulari in eas terras*, imò licet *præterea conſequatur nonnullorum regalium exercitium*, dicam amplius, licet *circa adminiſtrationem*

totius territorii in quibusdam cum primogenito concurrat, modò primogeniti, vel qui de ejus familia eſt, Superioritas Territorialis maneat indiviſa, cujus diviſione demum eſſentiam apanagii tolli ante probavimus. Neque exiſtimandum eſt, ſi ſecundogeniti memoratorum jurium compotes fiant, dividi Superioritatem Territorialem primogeniti. Nam terræ datæ in apanagium manent pars totius territorii, cujus Dominus eſt primogenitus: nec illa jurisdictio particularis cum terris ultragenitis indulta officit aliquid Superioritati Territoriali primogeniti, nam ea eſt tanquam particularis huic tanquam univerſali ſubordinata. v. Illuſtr. Dn. Coccej. *in Jur. publ. Prudent. c. 27. §. 15. inf.* (quod quando eſt, nullam diviſionem obtinere ſupr. §. 5. probatum.) Planè uti Archiducum Auſtriæ, Marchionum Brandenburgiæ, Ducum Holſatiæ aliorumque Principum Superioritas Territorialis illibata ſubſiſtit, licet habeant illi in ſuis territoriis admodum potentes Comites & Barones, qui ſuas ditiones cum omni jurisdictione aliisque eximiis juribus poſſident. Ne nunc afferam, interdum Viduas Illuſtres, præfecturas quasdam in dotalitium accipientes, in iis ex liberalitate concedentis exercere jurisdictionem tam in Eccleſiaſticis quam Secularibus, quo ipſo tamen Superioritas Territorialis Regionis Domini etiam in illas partes, quæ dotalitii jure ſubjectæ ſunt, nil detrimenti patitur. Nam hæ perſonæ, ut & apanagiati, ſimilibus egregiis juribus mactati, ea exercent nomine Regionis Domini, & ut formula in tabulis conventionum Illuſtrium haud infrequenter occurrente, id exprimam, *vi commiſſionis perpetuæ.* Commiſſarium autem non nomine proprio, ſed Committentis ſibi commiſſa expedire noto notius eſt. Neque quicquam detrahitur Superioritati Territoriali primogeniti, ſi ſecundogenitus gaudeat exercitio nonnullorum regalium, nam regalia non includere Superioritatem Territorialem latè probavit Fromman. in elegant. diſſ. *de Condomin. territor. cap. 3. §. 4.* quippe quæ & in privatos cadere poſſe ſalva Superioritate Territoriali Regionis Domini, experientia abundè docet. Denique etiam manet indiviſa Superioritas

Terri-

Territorialis primogeniti, licet ille conſenſum ſecundogeniti in aliquibus negotiis expediendis ſimul adhibere teneatur. Nam hoc ipſo nil aliud quam temperamentum affertur adminiſtrationi primogeniti, quod diverſum eſt à diviſione jurium ſummæ poteſtatis, qualis eſt illa, quando populus cum rectore civitatis in ipſo exercitio ſummi imperii ita concurrit, ut negotiis gerendis realem ſimul tribuat efficaciam, cujus rei luculentiſſimum præbet exemplum Imperium noſtrum Romano-Germanicum, in quo Jura Majeſtatica inter Imperatorem atque Status Imperii ſunt diviſa, quamvis qui Sacræ Cæſareæ Majeſtati adulari cupiunt, noſtrumque Reipubl. Statum remota omni vera prudentia civili conſiderant, non dubitent pro Monarchico eum defendere, de quo alibi. Interim talis diviſio Superioritatis Territorialis minimè contingit in præſenti caſu, cum ſecundogenitus, cujus conſenſus à primogenito requiri debet, non alio quam nudo conſiliario jure polleat, planè uti infrequens non eſt, ut interdum Regionis Dominus in cauſis Territorium concernentibus Status ſuos provinciales in conſilium adhibere teneatur, quo ipſo tamen ipſius Superioritati Territoriali nihil decedit, licet ea hoc ipſo temperetur. Quæ omnia hucusque dicta nunc amplius ex ipſis conventionum tabulis inter primogenitum & ultragenitos paſſim ſtabilitis comprobantur, in quibus expreſſe Superioritas Territorialis primogenito reſervata apparet, quod manifeſtum indicium indiviſæ Superioritatis Territorialis eſt, quo poſito paragio locus eſſe non poteſt, ut ſupr. §. 4. jam adſtructum. Atque ne hæc ſolummodo dixiſſe videar, libet exempli loco afferre verba conventionis, inter Sereniſſimum Landgravium Haſſiæ Caſſellanum, & Sereniſſimos Principes Rheinfelſenſes, quos alias Dn. Lombardius in claſſem Paragiatorum detruſit, erectæ ex Rec. Haſſ. *de Anno 1654. §. 7. verſ.* Hingegen aber ſollen und wollen vor hochgedachten Herren Landgraffen Wilhelms Fürſtl. Gnaden oder Dero nachfolgende regierende Fürſten/ auch Herren Landgraffen Ernſt Fürſtl. Gn. und Deroſelben Nach-

Nachkommende in der Nieder-Graffſchafft Catzenelnbogen bey denen Deroſelben obſpecificirter Geſtalt überlaſſenen actibus Superioritatis, wie auch bey dem exercitio ihrer hohen und niedern Obrigkeit / mero & mixto Imperio & jurisdictione ſo wohl in Criminal-als Civil-Sachen geruhig laſſen / und darin unter dem Vorwand der Ihro obbeſagter maſſen *reſervi*rten *Superiori*tät keinen weitern Eintrag zufügen. Et in *§. ult. d. Rec.* Principes Rheinfelſenſes renunciant allen und jeden actionibus, was deren ins künfftige in einigerley Weiſe moviret und erdacht werden könte oder möchte / gegen das ſo wohl von Ihro Kayſerl. Majeſt. als auch durch jüngſthin Oßnabrüggiſchen Frieden-Schluß beſtättigte *Jus primogenituræ* und die alleinige Landes-Fürſtl. Regierung. Ecquis autem ex hisce non videt craſſiſſimum errorem Dn. Lombardii? Nam ſi remanet Sereniſſimo Landgravio Haſſiæ Caſſellano Superioritas Territorialis ſalva, etiam quoad terras Sereniſſimis Principibus Rheinfelſenſibus datas, quomodo Hi poſſunt cum Illo æqualem poteſtatem obtinere? Superioritas enim Superioritatis non datur, qualem tamen ne quidem dicti Principes conſecuti, quia Superioritas Territorialis non tranſit, etiamſi alicui cum omnimoda jurisdictione caſtrum vel oppidum datum ſit, ut teſtantur Sixtin. *l. d. regal. c. 5. n. 3. ſequ.* Carpzov. *d. L. Reg. l. 3. c. 10. Sect. 3. n. 17.* Michael *de Jurisdict. §. 69.* Surdus *Conſil. 275.* Et quid aliud innuunt finalia verba die alleinige Landes-Fürſtliche Regierung / quam Sereniſſimum Landgravium Caſſellanum eſſe ſolum Regionis, cujus pars manent terræ in apanagium conceſſæ propter indiviſam Superioritatem Territorialem, Dominum. Si autem eſt ſolus reſpuit omnem parem.

§. X.

Ex dictis in *§. præced.* nunc haud dubiè fluit, vanum eſſe conatum eorum, qui hanc diſtinctionem tanquam merè cerebrinam impugnant. Nam entia quæ retinent ſuam eſſentiam propter

muta-

mutationem ordinariæ ſuæ naturæ fiunt tantum impropria, non verò in aliam diſtinctam ſpeciem degenerant, uti conſtat exemplo feudorum, quorum quædam licet à primæva naturali conſtitutione deflectant, (v. g. quando feudum in pecunia conſtitutum, aut ſucceſſio in feudis etiam ad fœminas eſt extenſa, & quæ ſunt alia irregularia) propterea tamen non deſinunt eſſe feuda, cujus effectus ille eſt, ut in iis, in quibus nulla mutatio ex pacto contrahentium contigit, retineant communem feudorum rationem. v. Struv. *Synt. Jur. Feud. c. II. aph. 8.* Eodem modo hoc dici poteſt de apanagio, ita ut licet illud per varia familiæ pacta interdum à communi ſua natura migret, retinet tamen ordinariam ſuam conditionem, in quantum non eſt immutatum, modo eſſentialia ejus illibata maneant, ex quibus ſuum eſſe & appellationem quævis res ſumit. Equidem hîc ogganit Schilterus *d. diſſ. §. 34. Atqui Apanagium improprium non retinet eſſentiam apanagii, h. e. modum proviſionis, ſed incidit in ſpeciem contradiſtinctam diviſionis ſcil. etſi inæqualis.* Enimvero expoſita ſupr. *§. 5. 6.* natura veræ diviſionis, facilè nunc apparet, falſum eſſe ſuppoſitum Schilteri exiſtimantis eſſentiam apanagii tolli, ſi ſecundogenitus terras peculiariter regendas conſequatur. Nam nulla hiſce caſibus contingit diviſio, dum portio illa terrarum manet pars totius territorii, per cujus univerſum diſtrictum ſeſe exſerit Superioritas Territorialis primogeniti ſive conſtituentis apanagium. Et quæſo ſi paragium eſſet, quando ut Schilterus vult, per modum diviſionis ſecundogenitis in terris debita ſua portio datur, quænam itaque nunc eſt differentia inter paragium, & diviſionem territoriorum. Illa ſane eſſe nequit, quod paragium præſupponat diviſionem in partes inæquales, diviſio autem territorii fiat æqualiter. Nam jam *ſupr. §. 5.* oſtenſum, inæqualitatem non obſtare, quo minus vera diviſio eſſe poſſit, modò alia rectè ſeſe ſimul habeant. Unde quomodo diſſentientes paragium diſtinguant à vera diviſione territoriorum, ego ſanè non video, quæ tamen alias in ſe invicem ſunt diverſa. Cœterum illud addendum, fruſtra ac præter neceſ-

ſitatem

ſitatem à Dn. Ludolpho *in tr. de jur. primogen. Part. Spec. aph. 12. n. 3. 4.* jus primogenituræ itidem diſpeſci in proprium atque improprium propter hanc apanagii diſtinctionem. Primogenituræ enim natura non immutatur propterea quod ſecundogenitus etiam nonnullis juribus gaudeat, nam primogenitus nihilominus ſolus regimini præeſt, ut ante oſtendimus. Sanè ſi illud temperamentum quod in dictis caſibus affertur Superioritati Territoriali, induceret improprietatem aliquam, diſtinguenda etiam eſſet Superioritas Territorialis in propriam atque impropriam. Sed non ſunt entia præter neceſſitatem multiplicanda, ubi neque utilitatem neque fundamentum aliquod habere videntur.

§. XI.

Hæ itaque recenſitæ ſucceſſionis ſpecies obtinent in Germanici Imperii Principatibus, à nobis eum in finem nunc expoſitæ, ut eruditus Lector eo citius intelligat, quam commentitia ſit illa diſtinctio paragii & apanagii in Republica noſtra Romano-Germanica. Nam quocunque modo etiam ea explicetur, tamen ejus uſus oſtendi nequit, dum quas Schilterus paragii ſpecies conſtituit, eas plerasque ad apanagiorum claſſem pertinere, vel alio jure cenſendas eſſe nunc apparet. Accedit quod nullum ſcriptum pragmaticum, nullum teſtamentum, aut conventio Principum, aut ſententia ſummorum judiciorum proferri poſſit, in quibus mentio paragii fiat, quod tamen vice verſa de apanagio dici nequit. Atque licet ipſe terminus apanagii improprii in diplomatibus publicis adeo frequens non ſit, id tamen nobis non obſtat, ſufficit quod ipſa vox apanagii, tanquam genus ſub ſe ſuas ſpecies complectens, in tabulis Principum ſæpius legatur. Quæ omnia nec ipſe Schilterus negare poteſt, proinde diſtinguit inter *modum loquendi vulgarem*, & *modum arguendi*. v. *d. diſſ.* §. *36.* Ego tamen valdè dubito, an hæc rem abſolvant. Nam omnis modus arguendi debet conveniens eſſe legibus, prout enim eæ loquuntur, ita debemus argumentari. Nonne enim JCto loquenti ſine lege erubeſcendum eſt? Nonne irriſui ſe exponit, quoties quis produ-

cit

cit argumentum omni legum authoritate deſtitutum? Fruſtra autem provocatur in Germania noſtra ad jura Gallorum; at vero in noſtris legibus patriis ne veſtigium quidem de paragio exſtat, unde poſſet argumentum aliquod deſumi. Ut profectò ille modus arguendi non minus commentitius eſſe poſſit, quam ipſum paragium in Germania eſt.

§. XII.

Unde nunc obſcurum amplius manere nequit, inſignem audaciam eſſe Schilteri, de Republ. noſtra literaria alias meritiſſimi JCti, aliorumque hanc exteram doctrinam de Paragio in vita noſtra Jurisprudentia publica ad Principatus Germaniæ applicantium. Eſt equidem omni laude alias dignum inſtitutum illorum, qui novitatibus inveniendis operam collocant, ſiquidem illud fiat in iis diſciplinis, quæ rationis ſcrutinio ſubjectæ ſunt, ac privatorum inventis facile innovari poſſunt. At Jurisprudentia noſtra tam publica quam privata non ſubeſt mutationi atque arbitrariæ interpretationi JCtorum, quia JCtus eſt ſub lege, non ſupra legem. Proinde dolenda eſt hodierna Reipublicæ noſtræ infelicitas, qua gloriæ ſibi multi vertunt, quo plus novitatum in Jurisprudentiam invehere poſſint. Qui auſus eo majorem reprehenſionem nunc merentur, ſiquidem iis tolluntur jura, in Republica noſtra alias conſtituta. Atque quilibet ex præcedentibus facilè animadvertet, multum multum doctrinam de paragio nocere ſtabilito hodienum juri primogenituræ. Quandoquidem ſi id admittendum eſſet, ſecundogenitos accipientes debitam ſuam portionem in terris, eſſe pares cum primogenito quoad poteſtatem, ſubverterentur omnia jura primogenituræ, nec etiam obtineretur finis, ob quem illa alias ſunt introducta, ſcil. ut regnum aut Principatus maneant indiviſa. Quamobrem omni modo nunc obſiſtendum naſcenti huic novæ doctrinæ, non tantum ideò, quia principiis Juris publici noſtri ac juri πρωτοτοκίας eſt adverſa, verum etiam quia aliquando tumultus magnos in Imperio noſtro excitare poteſt. Nam experientia teſtatur, apanagiatos multa ſæpiſſimè in ſuis conceſſis terris ſibi ſumſiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, quæ ad ſolum regionis Dominum ſpectarunt, unde potuiſſent magni motus reſultare, niſi amicabili via hi exceſſus eſſent compoſiti. Sed quid fieret, ſi ipſis parilem poteſtatem cum primogenito attribuamus? Quid prodeſſet Principatibus introductio juris primogenituræ, cum quo paragium ſtare non poteſt, ut ſupr. §. 4. jam probatum? Cœterum ut opinor ſufficientiſſimè à nobis hactenus demonſtratum eſt figmentum paragii Germanici, quod neque ad claſſem Principatuum dividuorum neque individuorum pertinere oſtendimus. Non ad dividuorum, quia aliud eſt paragium, aliud diviſio territorii, neque individuorum, quia paragium conſtituitur ſecundum genuinam ſuam naturam à Gallis inditam per modum diviſionis.

§. XIII.

Nunc ordine libet procedere ad Caſtigationem Vindiciarum Hallenſium, quarum ob cauſam præſentem laborem ſuſcepimus. Ut verò eò clarius malitia Vindicis in cavillando omnibus pateat, placuit Vindicias illius integras huc adſcribere, & per diſtinctas literulas ad neceſſaria meas qualeſcunque annotationes ſtatim ſubjicere, quæ ſatis detegent Vindicis nequitias atque nugas. Miſſis tamen capitibus primo & ultimo Vindiciarum, & nonnullis paragraphis notiſque ſubjunctis in capite ſecundo & tertio, in quibus nihil occurrit, quod nobis nocere poſſit, aut quo diſſertatio Hertiana impugnetur, aut quæ mereantur attingi, aut quæ non partim ex hactenus dictis, partim ex dicendis jam implicitè refellantur. Cœterum, ut in uno conſpectu B. Lectores habeant etiam ea quæ à nobis contra impugnationes Vindicis ſunt præſtita, ita Summaria ſequenti Sectioni præmiſſa ordinavimus, ut in uno latere exhibeantur Summaria eorum in Vindiciis paragraphorum, qui diſſertationi Hertianæ ſunt oppoſiti, & ſtatim ex adverſo noſtrarum qualiumcunque in eos animadverſionum.

SECTIO-

SECTIONIS SECUNDÆ CAPUT PRIMUM,

exhibens

CASTIGATIONEM IN VINDICIARUM HALLENSIUM *CAPUT SECUNDUM.*

CONSPECTUS

VINDICIAR.	CASTIGAT.
§. I. Vindiciæ parantur non deductiones juſtæ & plenaria controverſiæ, ſed quaſi triplica.	*Demonſtrantur defectus paratarum Vindiciarum ex variis argumentis, easque triplica nomine inſigniri non poſſe oſtenditur.*
§. II. Obſcuritas & ambiguitas ab Autore diſſertationis in titulo commiſſa monſtratur & emendatur.	*Nullam prorſus in titulo obſcuritatem latere, jejunamque Vindicis emendationem eſſe exponitur, ſubjuncta ſimul emendatione tituli, Vindiciis præfixi.*
§. III. Præfationis errores multiplices. (1) *Quod paragii nomen paucis demum annis in Juriſpr. Germanic. invehi cœptum ſit.*	*Hunc primum errorem ex falſo ſuppoſito præfationi imputari luculenter probatur.*
§. IV. (2) *Quod paragii nomen magis ſit inſolitum quam apanagii.*	*Atque hujus aſſertionis veritas à nobis eſt oſtenſa.*
§. V. (3) *Quod ideò ſit noxium, quia ex diſciplina exterorum petitum.*	*Hic fallacia malæ illationis ex verbis Hertianis à Vindice admiſſa detegitur.*
§. VI. Falſa promiſſio Antagoniſtæ ſe demonſtraturum doctrinam de paragio eſſe noxiam.	*Promiſſam demonſtrationem B. Hertium præſtitiſſe, manifeſtumque hic Vindicem agere mendacem oſtenditur.*
§. VII. Diſceptationem præſentem non referendam ad logomachias, etſi uſus ejus hic non oſtendatur.	*In hoc Vindici aſſentimur, caſtigavimus tamen eum in aliis ineptiis in illo §. admiſſis.*

VINDICIAR.	CASTIGAT.
§. VIII. Doctrinam tamen erroneam non prodeſſe Springsfeldianis.	*Nec eam iis nocere, modo proſit iis, quorum jura hac defenduntur.*
§. IX. Nec doctrinam de paragio nocere juri primogenituræ, ſed ſaltem ineptiis JCtis.	*Hoc prorſus demonſtratum non eſt.*
§. X. Notæ breves ad priores tres paragraphos Antagoniſtæ.	*Eas nonniſi pueriles & nugoſas eſſe variis ex argumentis declaratur.*
§. XI. Ad paragraphum quartum notatur nimius ejus ſaltus, quod incipiat à Schilteri theſi demum vigeſima ſecunda.	*Ratio genuina illius ſaltus affertur, quem reprehendere nonniſi cavillatoris eſt.*
§. XII. Summa dictorum à Schiltero in prioribus theſibus quindecim.	*Hos paragraphos nos inſerere omiſimus, cujus ratio à nobis adducta in Annotat. ad §. XI. lit. (d) (e)*
§. XIII. Item in theſi decima ſexta ad vigeſimam ſecundam.	
§. XIV. Oſtenditur, Antagoniſtam iſto ſaltu parum decenter ſe geſſiſſe.	*Oſtenditur falſitas hujus imputationis, ſimulque nequitia Vindicis.*
§. XV. Et in excerpendo alio loco Schilteri commiſiſſe fallaciam diviſionis.	*Nec minus Vindicem hoc conſueta ſua ſtultitia falſo imputare B. Hertio monſtratur.*
§. XVI. Porro adverſus Schilterum attuliſſe ironicam quæſtionem planè inſulſam.	*Nec non in hoc §. Vindicem prorſus inſanire, ac infinita delirantis ſui animi documenta edere.*
§. XVII. Et à paragio ad fratragium infeliciter argumentatum eſſe.	*Hoc probatum non eſſe, pluribus deducitur, patefactis ſimul horribilibus abſurditatibus Vindicis.*
§. XVIII. Antagoniſtam differentiam inter abgetheilte und abgefundene Herren *infeliciter impugnaſſe.*	*Ineptum Cenſorem demonſtrationis Hertianæ hic Vindicem egiſſe luculenter probatur.*
§. XIX. Ejus impudentia in imputanda Schiltero mente plane aliena.	*Vindicis effrons conviciandi rabies in imputando B. Hertio impudentiæ vitio.*
§. XX. Tranſitus à fuſiore demonſtratione Sophiſmatum ab Antagoniſta commiſſorum ad breviorem & magis ſummariam.	*Abſurditas ſequentis hujus brevioris tractationis ob oculos ponitur.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Sed dum vindicias diſtinctionis inter paragium & apanagium promitto, per vindicias non intelligo demonſtrationem doctrinæ de jure primogenituræ, jure itidem paragii & apanagii, & reliquorum, quæ huc pertinent, iſta enim omnia præſupponimus, jam facta eſſe ab illis, qui huic controverſiæ anſam dederunt, de quibus in capite præcedente actum. Igitur ſub conceptu vindiciarum noſtrarum imaginaberis tibi ex diſputationibus (a) advocatorum judicialibus triplicam, (b) quæ dicta in poſitione

(a) Imitatus eſt Vindex in parandis ſuis Vindiciis Advocatos, & quidem quod expreſsè fatetur quoad ordinem quem in diſceptationibus forenſibus vulgò obſervant, quod tacitè in omnibus lineis teſtatur quoad mores, maleferiatis præſertim Advocatis familiares, quos ex praxi expertus eleganter deſcribit Carpzovius *P. I. Conſt. I. def.* 19. *n.* 4. *Nihil hodie*, inquit, *familiarius atque jucundius Advocatis & Cauſidicis eſt, cum commiſſarum ſibi litium infirmitatem rationibus ſatis munire non poſſint, quod vel in collitigatorem, vel in ipſum etiam judicem conviciando, cavillando, objurgando, maledicendo, procacius & effrenatius invehantur, licet plus noceat anſerinus ille ſtrepitus, quam proſit* &c. Debuiſſet ſane Vindex ſi ſe Advocatorum gregi aſſociare voluerit, prius probè perpendere regulam, quam ipſis præſcribunt Sacratiſſ. Impp. in *l.* 6. §. 1. *C. de poſtuland. Ante omnia univerſi Advocati agunt quod cauſa deſiderat; temperent ſe ab injuria. Nam ſi quis adeò procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur: nec enim conniventia commodanda eſt, ut quisquam, negotio derelicto, in adverſarii ſui contumeliam aut palam pergat aut ſubdole.* An ergo hujus moniti notitiam non habuit Vindex? Non opinor, quia ille, qui ſummos in utroque jure honores ambit, & jam in numerum Advocatorum receptus eſt, hæc puerilia ignorare minimè debet. Quare itaque hoc præceptum Imperatorum ſusque deque habuit? Scilicet ut connatæ ſuæ ac prorſus diſſolutæ maledicentiæ ſemina eò copioſius per orbem eruditum diſpergere poſſit.

(b) Triplicæ nomen hisce Vindiciis tribuitur ex peſſimo ſuppoſito, quod Betſius primam poſitionem fecerit, cujus falſitatem in animadverſ. *ad* §. 3. *h. cap.* oſtendemus. Interim ſi triplicam Vindici ſcribere placuerit, anne

Digitized by Google

tione prima & potiſſimum in replica adverſus duplicam adverſarii corroborare ſatagit. Uti enim hic advocatus peritus non nauſeam movere ſolet Lectori, in poſitionibus præcedentibus dicta ac demonſtrata repetendo, aut digreſſionibus impertinentibus omnia alia, quam quæ ad rhombum faciunt, diſſerendo, ſed potius breviter & ſuccincte ea, quæ in duplica adverſarii de novo allata ſunt, refutare ſolet, reliquis ad ſcopum nihil vel parum facientibus intactis; ita & ego non diſſeram de uſu hujus disquiſitionis, non de exemplis ab utraque parte allatis, non defendam minutias, in quibus forte & in ſcripto Schilteriano (*c*) erratum eſſe potuit, modo id negotio principali non præjudicet; ſed ſolum inquiram, (*d*) an eæ rationes, quæ ab adverſa parte adverſus doctrinam Schilteri allatæ ſunt, momentum & pondus habeant, nec ne; reliqua omnia prætermittam, tanquam ad ſcopum meum non pertinentia.

§. II.

Quamvis autem non ubique laudabile ſit, adverſus titulos ſcripto-

---

anne ſcivit, triplicas hodie per R. *J. de An.* 1654. §. 52. non admitti, niſi cauſa cognita. Cui autem hujus cauſæ cognitionem ſubjecit? Ni fallor ſtolido ſuo ingenio, quod uti omni ſolida rerum cognitione deſtituitur, ita prorſus ineptum eſt, ad cauſarum harum graviſſimarum cognitionem ineundam.

(*c*) Si in valorem Schilterianæ doctrinæ penitiùs inquiſiviſſet Vindex, forſan nunquam animum appuliſſet ad haſce Vindicias ſcribendas, quia ſtatim, ſi quid ingenii in ipſo fuiſſet, deprehendiſſet commenta aſſertionum Schilterianarum. Dum verò præconceptis hic delectatur opinionibus, non poteſt non in inveſtiganda veritate coecutire.

(*d*) Utinam rectè inquiſiviſſes, & oppoſitas rationes Hertianas ſolidè deſtruxiſſes, quod alias il faciunt, qui non per calumniam alterum erroris arguere inſtituunt. Enimvero in hoc omnis Tua inquiſitio conſiſtit, quod vel formes meras ſophiſticas concluſiones, multa ſupponas, ac more bajulorum & anicularum convitieris, unde non poteſt Tua imperitia ac infantia omnibus non eclareſcere.

Digitized by Google

ſcriptorum & diſſertationum ſubtiles(*a*) magis, quam utiles controverſias movere; ſi tamen appareat cauto defenſori, adverſam partem etiam in titulo (*b*) fallaciam aliquam occultaſſe, vitio ei verti haud poterit, ſi & titulo larvam detrahat, & ſic in limine artificium adverſarii intempeſtivum oſtendat. Agere ſibi propoſuit autor in titulo *de commentitia apanagii & paragii diſtinctione in Romano Germanici Imperii Principatibus profanis & Comitatibus.* Cum vero *commentitiæ diſtinctionis* vox hic ſit valde ambigua, & ea viſa lectores, neſcio quem vagum conceptum ſibi imprimere valeant, ſtatim ab initio non optimæ cauſæ indicium eſt, quod autor, cum id facile & forte paucioribus verbis facere potuiſſet, lectorem his verbis obſcurioribus ſeducere maluerit, ut alia omnia potius ſuſpicaretur ex rubrica diſſertationis, quam de quibus poſtea agitur in nigro. Etenim poterat per commentitiam diſtinctionem &c. (*c*) intelligi, 1. (*d*) Quod tota diſtinctio inter paragium & apanagium ſit merum ens rationis parum ſanæ, omni fundamento rationabili deſtituta, aut 2. (*e*) quod diſtinctio quidem

(*a*) Dic potius *inſulſas* ac *juveniles*, quales Tu jam contra Titulum moves, ut oſtendemus. Ipſe autem de Tuo inſtituto judicas, id minus eſſe laudabile. Apage itaque tu, otioſe, ac turpiſſime Grillifex.

(*b*) Eſt fallacia in Tuo fallaci cerebro, nonniſi meros fallaciarum, argutiarum, atque Sophiſticationum ſpiritus generante.

(*c*) Jam muſcas captat Vindex in puro aere, ae tales ambiguos ſignificatus contorquet, qui Sophiſtæ malitioſi luculentum indicium præbent. Sed videamus muſcarium noſtrum, annon captatas muſcas expellere queamus.

(*d*) Recte mi Vindex percepiſti intellectum rubricæ diſſertationis Hertianæ, modo reſpicias, quod tamen diſſimulas, ad Principatus Germaniæ, in quibus utique merum ens rationis eſt diſtinctio apanagii & paragii. Nam ad diſtinctionem duæ res requiruntur, quæ ſibi invicem ſint diſtinguendæ. Ubi autem una ſaltem adeſt, ibi non eſt diſtinctio, ob defectum ejus, à qua diſtingui debet. Jam autem in præcedentibus pluribus demonſtratum paragium in Germania non dari.

(*e*) Nemo ſanus hunc conceptum ex inſignito titulo ſibi formabit de diſſertatione

dem ipſa bene ſe habeat, ſed commentitia explicatione ſit corrupta. 3. (*f*) Quod illa commentitia explicatio erret, ſi reſpicias mores Galliæ, unde petita fuit. 4. (*g*) Quod illa diſtinctio utcunque ſe habeat intuitu morum Galliæ, tamen commentitia ejus applicatio ſit, ſive appanagium ſive paragium ſpectes, ad mores Germaniæ, qui videlicet ex antiquitatibus patriæ potius, quam ex moribus peregrinis ſint explicandi. Ex iſtis quatuor ſignificatibus primus & ultimus ſunt primarii, & ex nativa verborum ſignificatione ſtatim mentibus legentium ſe offerentes, duo intermedii ſunt paulo longius quæſiti, ac jam paululum contorti, cum

tatione Hertiana. Nam rubrica non agit de commentitiæ diſtinctionis explicatione, nec de commentitia diſtinctione in univerſum, verum habito ſemper reſpectu ad Principatus & Comitatus Germaniæ, quæ ultima verba rubricæ ſunt ſemper combinanda cum prioribus, quæ tamen Vindex ex malitioſo animo quaſi non viderit ſemper invicem in ſe ſeparavit, de quo quid judicandum ſit, eleganter innuit JCtus *in l.* 24. *ff. de LL. Incivile eſſe velle judicare, niſi tota re perſpecta.*

(*f*) Multo minus ille tertius ſignificatus alicui in mentem venire poteſt ex ante dictis. Nam dum ſubjicitur in Principatibus Germaniæ hanc diſtinctionem eſſe commentitiam, eo ipſo indigitatur non eſſe præſentem diſquiſitionem, an quoad mores Galliæ ea diſtinctio rectè explicetur.

(*g*) Neque hunc ſignificatum ex rubrica ſibi imaginabitur prudens Lector, qui novit eſſe tantùm controverſiam de commentitia applicatione paragii, non apanagii, quippe quod in Germaniæ Principatibus non ex moribus Galliæ, aut privata Doctorum applicatione, ſed introducto jure primogenituræ fluxit. Hinc nonniſi ſtolidus eſſet, qui ex titulo ita inferre vellet: Si commentitia eſt diſtinctio paragii & apanagii in Germania, ſequitur quod neque apanagium neque paragium in Germania detur, qualem, ut benè ſentio, abſurdam illationem ex rubrica extorquere vult Vindex, affictio illi hoc quarto ſignificatu, quem tamen meram Vindicis chimæram, nemini eruditorum in mentem venientem eſſe intelligetur jam ex dictis lit. (*d.*) Ob defectum enim paragii in Germania ab apanagio diſtinguendi commentitia hæc Gallica diſtinctio dicitur, quæ talis nihilominus manet, licet apanagiorum in Germania frequens uſus ſit.

cum aliud ſit commentitia diſtinctio, aliud commentitia explicatio diſtinctionis in ſe bonæ; ſed volui tamen & hos addere, ut liberalior ſim, *(h)* & oſtendam me eſſe paratum ad condonandum *(i)* autori, ſi vel ex illis unum, quamvis longius quæſitum in mente habuiſſet, etſi lectorem & tum ſeduxiſſet, expectantem, ſe multa in diſſertatione lecturum, de inanitate totius diſtinctionis, vel certè de ejus totius, & adeo etiam apanagii *(k)* inepta applicatione ad ſucceſſiones in principatibus Germaniæ. (Scilicet, ut noſter addit, *profanis*, ne videlicet lector ſeducatur, & putet etiam in Epiſcopatibus eccleſiaſticis obtinere ſucceſſiones, jura primogenituræ, apanagia & paragia. Quæ tamen hic noto, non ut irrideam *(l)* curam locutionis exactæ intempeſtivam, ſed potius, ut urgeam, eum, qui ita circumſpectus eſt in re leviſſima, ne omittendo vocem *profanis* culpa, ſecundum ſtilum juris Romani leviſſima, ſeducat lectorem, etiam plane ſtupidum, ne in mente

(h) In formandis grillis, nugisque profundendis.

(i) Vide mi B. L. quanta ſit Vindicis frivola oſtentatio, qui vult propter calvos atque lepidos contortos ſignificatus, qui tum in mentem Autoris diſſertationis, tum eruditi Lectoris nunquam incident, adhuc veniam concedere.

(k) Nonniſi imperitus atque ineptus lector, qualis eſt Vindex, hoc ſibi ex titulo promittere poteſt, ut lit. *(d)* *(g)* jam oſtenſum.

(l) Abſurdiſſima profecto eſt captatio vocis *profanis*, quam Vindex in rubro intempeſtivè poſitam eſſe garrit, cum tamen omnes accurati Scriptores Juris publici etiam citra neceſſitatem eam apponere ſoleant, cujus rei ex multis exemplum præbet locus Seckendorffii ſupr. *Sect. I.* §. 8. *all.* Unde apparet effrons malitia Vindicis, qui ut Horatius *L. I. Sat* 4. ſcribit: *Dummodo ſibi excutiat riſum, non hic cuiquam verbulo parcet*, etiamſi ſibi contradicere debeat. Supra enim ſcripſerat vagum conceptum ſibi titulum diſſertationis Hertianæ imprimere, nunc exactam locutionem, qua vagus ille conceptus reprimitur, reprehendit. Equidem id inde inferre vult Vindex, quod ille cenſuram mereatur, qui in minimis eſt circumſpectus, in aliis vero quæ majorem accurationem poſcunt, eſt negligens. Sed hoc falsô B. Hertio imputari noſtra hactenus dicta abunde probabunt.

mente ſibi concipiat Principatus eccleſiaſticos, etiam majorem circumſpectionem adhibere debuiſſe in termino *diſtinctionis commentitiæ*, ne videlicet per negligentiam ejus craſſam, latam & valde ſupinam lector etiam eruditus ſeducatur, ut quodcunque potius diſtinctionis commentum aliud quam quod autor voluit, ſibi conciperet.) Jam cum diſſertatio ipſa & ejus initium ſtatim oſtendat, nec ex ſupra memoratis quatuor (*m*) ſignificationibus commentitiæ diſtinctionis ullum eſſe objectum tractationis, non conqueri poſſet autor, ſi non ejus negligentiam valde ſupinam hic accuſem, ſed gravius quid, & cui lata culpa proxima eſt, de eo ſuſpicer. Nimirum vexat eum non diſtinctio ipſa inter paragium & apanagium, non apanagii ex diſciplina Galliæ tanquam exteræ regionis ad principatus Germaniæ profanos facta applicatio; hæc omnia concoquere potuit, id ſaltem dolet, ut in præfatione conqueritur, quod *inſolitum paragii nomen & diverſa ejus ab apanagio indoles ex diſciplina exterorum regnorum petita*, (quam adeo indulget, eamque veram eſſe concedit) *in juris publici Germanici prudentiam invehi cœperit.* Quis hunc ſenſum quæreret in titulo; aut etiamſi omnes divinationis artes poſſideret, divinaret? (*n*) Sed malumus tamen & hic æquiores eſſe. Abſolvemus autorem ab omni fraude, imo & gradum culpæ magnæ ipſi non imputabimus, ſit levis culpa, ſit etiam leviſſima,

per

(*m*) Dixi lit. (*d*) primum ſignificatum convenientem eſſe ſcopo atque tractationi diſſertationis Hertianæ, modo ſano ſenſu accipiatur, reſpectivè ſcil. ad Principatus Germaniæ.

(*n*) Et tua tamen fatuitas hunc ſenſum invenit? Non credo quod tu omnes divinationis artes ſolus poſſideas. Sed dicis ex præfatione hunc ſenſum Te percepiſſe, non ex ipſa rubrica. Laudo inſignem Tuam prudentiam, quod verum fontem inquiſiveris. . Cæterum poſtquam inveniſti genuinum rubricæ ſignificatum, non debuiſſes adeo malitioſus eſſe, & tot ineptos ac ſtolidos ſignificatus adhuc contra eam movere, eo ipſo enim oſtendis Tuam improbitatem, ac manifeſtam cavillandi libidinem, qui licet noveris veram tituli explicationem, nihilominus aſſeris, vagum conceptum eum Tibi imprimere.

per me licet, ſi modo intelligam autorem quid velit. Adjuvabo etiam, & emendabo ejus in ſcribendo obſcuritatem vel tribus literis. Agere voluit *de commentitia paragii ab apanagio diſtinctione in R. G. Imperii Principatibus, &c.* (o) Quia videlicet putavit ſufficere apanagium. Quod ſi tamen adhuc clarius mentem ſuam exprimere voluiſſet, dixiſſet cordate, ſe exhibiturum eſſe *defenſionem apanagii improprii, adverſus ejus & impugnationem & commentitiam paragii ab apanagio diſtinctionem.* Nam hic eſt, ni fallor, ſcopus diſſertationis. (p)

§. III.

Antequam vero ad eam propius accedamus, non levi pede tangenda eſt *præfatio*, ſed inquirendum potius, annon & hic

F forte

(o) Eſt certè ſtolida hæc emendatio. Nam ſi ita formatum fuiſſet rubrum diſſertationis, potuiſſet quis facilè exiſtimare, quaſi à B. Hertio non negaretur paragium in Germania, illumque id præcipuè ſuo ſcripto demonſtrare intendere, commentum eſſe Doctorum paragium in Germania diſtinguentium ab apanagio, cum ſit vel unum idemque, aut alio modo explicandum. Non afferam, quod illa correctio adeo benè latina non ſit, quemadmodum totus Vindicis ſtylus in his Vindiciis adhibitus parum conceſſurus eſt literis obſcurorum Virorum.

(p) Miror ſanè Autorem Vindiciarum dum ita prolixus hactenus fuit in perſtringenda rubrica diſſertationis Hertianæ, non majorem impendiſſe induſtriam in accurate formando titulo ſuarum Vindiciarum. Quid enim ille promittit? Nimirum Autorem velle Vindicias ſcribere contra eos, qui in univerſum negant diſtinctionem inter Paragia & Apanagia. Quem itaque habebit adverſarium? An B. Hertium? Minimè. Ille enim ſemper atque ſemper quoad Galliam inter hæc duo diſtinctionem admiſit, ſaltem quoad Principatus & Comitatus Germaniæ jam eam commentitiam eſſe dicit. Et tamen contra Eum has Vindicias ſcriptas eſſe, ex tractatione apparet. Hinc lætor de occaſione, qua mutuo humanitatis officio Vindicem afficere poſſumus, ejusque in ſcribendo obſcuritatem & inſufficientiam ita emendare, quod ille ſcil. intenderit exhibere *Vindicias diſtinctionis inter Apanagia & Paragia in R. G. I. Principatibus profanis & Comitatibus, adverſus commentitiam ejus impugnationem.* Nam hic eſt ni fallor ſcopus Vindiciarum.

forte lateat ſtatus controverſiæ diſtinctius propoſitus, ne ſtatim in limine impingam ipſe, & ignoratione elenchi, ut Scholæ loquuntur, laborem. *Pauci ſunt Anni, in quibus in juris publici R. G. prudentiam invehi cœpit inſolitum paragii nomen, & diverſa ejus ab apanagio indoles ex diſciplina exterarum regionum petita.* (*a*) Sunt hæc ea ipſa verba, quæ modo ad eruendum ſenſum tituli attuli, adeoque ex illis quidem nihil colligere poſſum, quod me erroris convincat. Non tamen ſunt ea prætereunda, quia, ni inſigniter fallor, duo hic latent capitales errores autoris diſſertationis. Nam primo falſiſſima eſt aſſertio, quod paragii nomen paucis demum annis invehi cœptum fuerit in jurisprudentiam publicam, cum in capite præcedente (*b*) oſtenſum fuerit, jam anno undecimo ſeculi decimi ſeptimi illud paragii nomen, & quidem ſimul cum apanagio in doctrinam juris publici fuiſſe invectum, (*c*) & ab apanagio diſtinctum, item poſtea à Springs-

(*a*) Non dubito, quemlibet eruditum Lectorem vel nobis tacentibus facilè judicare poſſe, quo ſenſu intelligendum ſit, quando B. Hertius nomen Paragii ejusque doctrinam ad Principatus Germaniæ applicatam fœtum noviorum temporum appellat. Nimirum quod ante Schilterum non exiſtat aliquis JCtus, qui uſum vocis paragii ejusque indolem ex Gallia petitam ad Germaniæ Principatus transferre auſus fuerit, *conſtituendo certas Paragii in Germania ſpecies, easque vivis exemplis Illuſtribus comprobando*, in hisce enim conſiſtit veræ applicationis natura.

(*b*) Ubi autoritatem Betſii adduxerat, cujus locum nos jam ſupr. *Sect. I. §. 4. in pr.* expendimus, oſtendentes, planè paragii jus non eſſe, quo quasdam familias in Germania uſas eſſe tradit. Eo minus nunc poteſt ex illo loco inferri, quaſi ille primus applicaverit hanc doctrinam ad Germaniæ Principatus, præſertim ſi conſideremus, quod in meræ relationis hiſtoricæ terminis maneat, nec oſtendat uſum vocis de paragio practicum in Jurisprudentia noſtra publica, cujus neceſſitas alias illi incumbit, qui novæ in Jurisprudentiam invectæ doctrinæ autor dici amat, aut ab aliis pro eo venditari poteſt.

(*c*) Ergo nunc ante tempora Betſii, qui ſeculo præcedenti vixit, Jurisprudentia noſtra publica nihil ſcivit de apanagiis? Riſum teneatis amici! quid

Springſfeldio, (qui primus noviter inſolitum, & apud Gallos pariter ac Germanos hactenus inauditum apanagii improprii nomen in jus publicum (*d*) invexit,) idem paragii nomen cum differentia ab apanagio fuiſſe retentum. (*e*) Hæc ſi ignoravit adverſarius, ignorantia craſſa & ſupina eſt, indicans, quod plane illotis manibus negotium hoc ſuſceperit; ſi ſcivit, fraus & dolus eſt non laudabilis, ut mitiſſime dicam, eo tendens, ut Schilterus tanquam novator, & qui *doctrinam antea non receptam in jurisprudentiam Germanicam introduxerit, traducatur.* Ut de imprudentia adverſarii nihil dicam, fraudem adhibentis nemini magis noxiæ quam ipſimet. An enim putavit, lectores fore tam ſtupidos, ut etſi ipſe affectaret ignorantiam doctrinæ prope ante ſeculum

quid notius eſt, conſtitutionem apanagiorū, eorumque doctrinam coævam eſſe ipſi introductioni juris primogenituræ, cujus originem in ſecul. XV. nos ſupr. rejecimus. De ſolo nomine apanagii ſi ſo intellectum velit Vindex, nihilominus errat, nam & illud in tabulis conventionum publicarum jam ab anterioribus ante Betſium ſeculis uſurpatum eſſe, multæ chartæ docent. Præterea locus B Hertii non de ſolo vocabulo paragii intelligi poteſt, ſed de ejus in Jurisprudentiam ſimul invecta doctrina, cujus primus author ideò Betſius dici nequit, quia nuda hiſtorica relatio, aut ſolitaria vocis paragii facta mentio ad id non ſufficiunt. Ne nunc dicam, quod jam lit. (*a*) monitum, applicationem proprie fieri ad certos ſingulosque caſus, nec ſubſiſtere in univerſalibus, qualia omninò ſunt, & quidem pauciſſima quæ de paragio in Germania memorat Betſius *d. l.*

(*d*) Invenit quidem Springsfeldius primus hunc terminum apanagii improprii, eo ipſo tamen nihil novi in Jurisprudentia noſtra publica conſtituit, quippe jamdudum ante Springsfeldium apanagia impropria in frequenti uſu fuerunt, nam introducto apanagio tanquam genere, introductæ ſimul ſunt ſpecies *proprium* atque *improprium*.

(*e*) Quæ Springsfeldius in *tr. de Apanag. c. ult. in pr.* de paragio affert, ea quoque in meris terminis univerſalibus ſubſiſtunt, nec ab eo ad Principatus Germaniæ transferuntur, quare & fruſtra ad Springsfeldium tanquam antiquiorem applicatorem hujus doctrinæ ad Germaniam provocatur. Add. quæ diximus infr. Cap. II. *ad §. 6. lit.* (*d*)

lum in jurisprudentiam introductæ, lectores tamen, vel parum verſati in hiſtoria literaria, id ignorarent. Cui non notus Betſius & Springsfeldius? prope dixerim: cui non notus Hylas: (*f*) Deinde, etſi verum eſſet, Schilterum primum introduxiſſe terminum paragii ejusque ab apanagio differentiam in jurisprudentiam publicam; nec id multum poterat prodeſſe antagoniſtæ Schilteri. Vivimus enim in ſeculo, ubi ſcomma novatoris (*g*) deſiit eſſe injuria, cum quotidie viri eruditiſſimi oſtendere ſoleant, multis emendationibus novis opus eſſe ad purgandam jurisprudentiam, & præcipue publicam ab erroribus vetuſtis, (*h*) quorum defenſores ab iis, quos novatorum titulo inſigniunt, rurſus veteratorum encomio non raro honorari ſolent.

§. IV.

Cum vero ex hactenus dictis etiam conſtet, à Betſio & Springsfeldio apanagii & paragii nomen in jus publicum Germanicum ſimul introductum eſſe, (*a*) mirari forte poſſet aliquis, cur paragii tantum nomen pro (*b*) *inſolito* habuerit noſter, niſi conſtaret

(*f*) Potuiſſet profecto Vindex, ſi micam boni Viri poſſideret, hisce ſarcaſticis locutionibus optimo jure abſtinere, quia noſtra hactenus dicta abunde comprobant, quam imbecillia ſint tum in defenſionem Schilteri tum oppugnationem Hertii allata.

(*g*) Quousque licentia ſit JCtis in Jurisprudentia aliquid innovandi tradidimus jam in *Sect. I. §.* 12.

(*h*) Scil. JCtorum, non verò poſſunt in ipſa Jurisprudentia publica, quæ continet leges publicas aliquid emendare, aut novi introducere, quia hæc facultas penes ſolum legislatorem eſt, qui uti leges dat, ita quoque eas emendat, atque innovat. Hoc verò cum ſibi ſumſerit Schilterus, parum dubito, quin nomine Innovatoris jure meritoque inſigniatur.

(*a*) Hoc falſum eſſe jam in *§. præced.* variis ex argumentis oſtendimus.

(*b*) Habet pro inſolito nomen paragii *intuitu noſtra Jurisprudentia publica*; non verò *intuitu Scriptorum*, qui utique ante Schilterum mentionem hujus vocis in ſuis ſcriptis fecerunt, ſed ut ex natura applicationis oſtenſum, non *applicativè*, ſed mere *relativè*. Præterea illa relatio Betſii eſt admodum obſcura, dum ſaltem pauciſſimis refert, *ſe comperiſſe* quæ-

ſtaret ex ſupra dictis, JCtos plurimos, qui hactenus Springsfeldii doctrinam de apanagio improprio cœca fide ſecuti ſunt, ac hoc modo ſolius apanagii memoriam in ſcriptis ſuis propagarunt, in cauſa eſſe, (*c*) ut paragii nomen à Schiltero ex tenebris in lucem revocatum pro inſolito ab ignorantibus hiſtoriam controverſiæ habeatur. Sed hac ignorantia certe non laborare debebat ille, qui Schilterum refutare voluit, inprimis, cum Schilterus ſtatim initio diſſertationis ſuæ digito quaſi lectorem in doctrina paragii ad Betſium remittat. Igitur & hæc ignorantia, ſi vera eſt, ad claſſem latioris culpæ, ſi affectata, ad artes pugnantium referenda erit, ubi illud dictum valet; *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

§. V.

Porro id in dictis præfationis verbis video maximè uſſiſſe Antagoniſtam, quod paragii nomen & diverſa ejus indoles ab apanagio *ex diſciplina exterorum regnorum petita ſit*, quodque ejus applicationem ad jura Germaniæ adeo pro noxia habuerit. (*a*) Ego vero valde doleo, quod Antagoniſta tam delicato & nauſeabundo ſtomacho præditus ſit, ut diſtinctiones ex diſciplina exterorum regnorum petitas in Juriſprudentia Germanica ferre

F 3 non

quaſdam familias jure paragii uſas fuiſſe in Germania. Quis autem ſanus nunc ex hac ſuccincta relatione inferet, Betſiū vocem doctrinamq; paragii in Juriſprudentiam Germanicam introduxiſſe? An enim hoc ſufficit?

(*c*) De cauſa quæ Schilterum ad hoc ſcriptum perficiendum permoverit, modo nunc taceas, v. quæ diximus ſupr. *Sect. I. §.* 1. Inverte potius, Schilterum non potuiſſe ſuæ novæ opinioni veritatis aliquem colorem aſpergere, niſi in ſpeciem provocaret ad obſcuram relationem Betſii, quam tamen omni fundamento deſtitui ſupr. *Sect. I. §.* 4 jam animadvertimus.

(*a*) Falſarius es, & manifeſtam fallaciam malæ compoſitionis atque illationis in verbis Hertii hic admittis. Non enim B. Hertius doctrinam de paragio ideò noxiam eſſe exiſtimat, quia eſt ex diſciplina exterorum petita, ſed quia non congruit receptis uſitatiſque hucuſque in Romano-Germanico Imperio juris publici principiis.

non poſſit; & vereor adeo, ne totam Jurisprudentiam noſtram reformet, (*b*) quæ, quanta quanta eſt, repleta eſt diſtinctionibus ex diſciplina exterorum Regnorum, puta Romani & Longobardici petitis. Quod ſi forte noſter principiis jurisprudentiæ, quæ tempore Imperatoris Maximiliani I. florebat; imbutus ſit, ubi JCti credebant, floſculum inſignem jurisprudentiæ eſſe, ſi Juſtinianus Imperator in receſſibus imperii vocaretur anteceſſor Maximiliani in imperio; non debebat tamen Francicum regnum, unde diſtinctio paragii & apanagii eſt petita (*c*) pro magis peregrino habere, ſed recordari poterat, Carolum M. primum ex Franciæ regibus Imperatorem Romanorum, eo ipſo, dum Germaniæ Rex erat, ſimul fuiſſe Franciæ Regem, imo Galliam tum fuiſſe inſignem regni Francici partem; Poterat conferendo mores Germanorum à Taciti ævo ad noſtra tempora cum moribus Romanorum, & ab ortu Regni Francici ad hodiernum diem cum moribus Gallorum diſcere, majorem perpetuo convenientiam

(*b*) Eheu quam jejuna eſt Vindicis illatio a juribus peregrinis in Republ. noſtra nunquam receptis ad jura peregrina publica authoritate introducta, quæ noxia nunc amplius non ſunt, quia ad Statum Reipubl. noſtræ accommodata, ex quorum numero ſi jura paragii quoque eſſent, ea profecto non ideò forent noxia, quia peregrina ſunt, quemadmodum omnia alia jura extera hodienum in Imperio noſtro uſitata, propter peregrinitatem ſuam illi non ſunt damnoſa, quamvis laudabilius ſit, ut propriis noſtris a nobiſmet ipſis latis legibus utamur. Cœterum doctrina de paragio neque publicè eſt recepta, neque ad principia Reipubl. noſtræ aptata, quin potius iiſdem e diametro adverſatur, quemadmodum hoc jam *Sect. I.* §. 12. pluribus eſt oſtenſum.

(*c*) Falleris mi Vindex, nam Franci tempore Caroli M., ſub quo Gallia & Germania unita fuere, nihil ſcivêre de apanagio & paragio, id quod exinde patet, quia illi nulla juris primogenituræ habita ratione æquales ſemper inſtituerunt diviſiones, v. Excell. Dn. Thomaſ. *in Not. ad Monzamban. c.* I. *p.* 44. *ſequ.* Neque in Comitatibus aut Ducatibus apanagio vel paragio locus tunc temporis eſſe poterat, quoniam illorum conditio ea ætate nondum fuit hæreditaria, ut *pl.* ex hiſtoria oſtendit

Digitized by Google

tiam fuiſſe, inter mores Germanorum & Francicos, ſeu, ut hodie vocamus, Gallicos, quam cum moribus Romanorum aut Longobardorum. (*d*) Sed eſto etiam, ſupponamus in gratiam Antagoniſtæ, inconveniens eſſe, petere indolem paragii Germanici ex moribus Gallorum, tanquam exterorum, eamque applicare ad principatus profanos Germanorum, neque ſic tamen à duplici errore ſe liberare poterit. Nam initio nec Betſius, nec Schilterus paragium Gallicum ejusque indolem in Galliis applicuerunt ad mores Germaniæ, ſed potius uterque differentiam paragii Gallici & (*e*) Germanici ſatis palpabiliter expoſuit. Deinde ſi paragii applicatio ad mores Germaniæ ideo noxia eſt ſolidis juris publici principiis, quia paragium ex diſciplina exterorum

---

oſtendit B. Dn. Hert. in Diſſ. d. *Origin. & Progreſſ. Special German. Imper. Rerumpubl.* Ad hæc ex hiſtoria novimus ante tempora Familiæ Capetingicæ in Gallia nullum jus primogenituræ obtinuiſſe, & certum eſt, apanagium paragio eſſe antiquius, v. Springsfeld. *de Apanag. c. 1. n. 50. ſequ.* En itaque lapſum Vindicis, a tempore Caroli M. diſtinctionem apanagii & paragii repetentis.

(*d*) Define nugarum mi bone Vindex, alias jam in principio Lectores ſtupore Tuo enecas. Quorſum enim hæc omnia quæ prorſus impertinenter hic affers. Sit, mores Gallicos majorem convenientiam cum Germanorum habere, quam mores Romanorum aut Longobardorum. Quid jam inde contra nos? Id forſan ex eo probas, Legiſlatores noſtros in recipiendis peregrinis juribus potius ad Gallorum quam ad aliorum exterorum jura reſpicere debere, quia illa propter majorem convenientiam ſe facilius ad Statum Reipubl. noſtræ accommodare patiuntur. Verum ita jam Tibi lis erit cum Legiſlatoribus noſtris, non nobiſcum, quia hæc nunquam negamus, ſed id tantum dicimus, jura peregrina non poſſe pro lubitu a privatis citra authoritatem publicam in Juriſprudentiam noſtram introduci, præſertim ſi illis ipſis evertantur alia juris publiei noſtri ſtabilita principia.

(*e*) Primo, paragium Germanicum commentum eſſe jam *ſupra Sect. I. §. 4.* eſt demonſtratum, deinde, ſi quod eſſet paragium in Germania, illud tamen principaliter veniret ex applicatione morum Galliæ, quia primæva

rum regnorum (*f*) petitum; cur non etiam noxiam putavit applicationem apanagii ad mores Germanorum, cum Betſius (*g*) apanagium ſimul cum paragio ex illa exteri regni diſciplina in jurisprudentiam Germaniæ introduxerit: imò cur apanagium improprium tanto amore proſecutus eſt, (*h*) quod ſuam nativitatem ne quidem diſciplinæ illius Regni, ſed ſolo (*i*) cerebro Springsfeldii debet, niſi forte ſub Springsfeldio Jovem, & ſub apanagio improprio Palladem ſibi imaginatus eſt. Ita ubique, & quorſum me vertam, perſuadeor, (*k*) Antagoniſtæ pro ratione voluntatem ſtetiſſe, ejusque cenſuram ex mero & ſupremo arbitrio vexare voluiſſe paragium, contra apanagio ex gratia dediſſe veniam.

§. VI. Sed

primæva ejus inſtitutio & modificatio debetur Gallis, a quibus appellationem, eſſe atque indolem ſuam traxit, v. *ſupra Sect. I. §. 3.*

(*f*) Efficta eſt hæc Tua illatio, ut lit. (a) jam notavimus. Nam nos non ideo noxiam applicationem paragii eſſe exiſtimamus, quia eſt ex diſciplina exterorum petita; ſed quia illa ipſa tolluntur alia jura publicè in Imperio noſtro magno alias cum bono conſtituta.

(*g*) Ante Betſium vocabulum apanagii jam in Germania in uſu fuiſſe ad §. 3. *lit.* (*c*) dictum. Interim quid ſi largiamur in gratiam Vindicis, Betſium primum autorem invectæ vocis apanagii in Jurisprudentiam Germanicam eſſe. Quid nunc inde? Sanè præter ſolam vocem nil amplius ab eo introductum eſſe dici poteſt. Nam apanagia jam a longo tempore ante Betſium in Germania determinatam naturam ſuam habuêre, ita ut nulla applicatione morum exterorum indiguerint.

(*h*) Quia congruit ſolidis juris publici noſtri fundamentis.

(*i*) Si ſolum vocabulum *improprium* intelligas poſſet hoc admitti, verum ſi rem ipſam, quæ hoc ipſo indigitatur conſideres, ea fluit ex introductione juris primogenituræ, quippe quod admittit tam apanagium improprium, quam proprium, ut *ſupr.* toties quoties oſtendimus, longeque antiquior eſt ætate Spring feldii.

(*k*) Vindicem in conſpectu orbis literarii nugari voluiſſe, talia proferentem argumenta, in quibus pueri imperitiam atque ſtoliditatem ejus non ſatis flagellare poſſunt.

Digitized by Google

§. VI.

Sed (a) audienda tamen etiam eſt altera pars. Pergit Noſter in præfatione, quod exiſtimaverit, *ſe operam minimè laſurum, imo veri amantibus gratiam facturum eſſe, ſi ex profeſſo oſtenderet, quam noxia & quam detrimentoſa ſolidis & uſitatis hucusque in Romano-Germanico Imperio publici juris principiis, imo amplius ipſi πρωτοτοκίας juri eſſe queat illa applicatio inſoliti nominis paragii, & diverſa ejus ab apanagio indolis ex diſciplina exterorum regnorum petita.* Ergo mihi maximopere cavendum erit, ne triumphum canam ante victoriam, ſed ante omnia refutanda erit illa demonſtratio, quam *ex profeſſo* ſibi Antagoniſta in ſua diſſertatione propoſuit. Verum ô utinam id feciſſet, quod hic in præfatione promiſit. Jam neſcio quam ob rem amphora cœperit inſtitui, currente vero rota, res in urceum exierit. Etſi enim vel Diogenis (b) lucernam adhibeas, iſtam demonſtrationem, quam *ex profeſſo* intendit noſter, in nullo diſſertationis

G Anti-

(a) Audi modo rectè, aureſque Tuas nugarum excrementis prorſus obturatas prius expurga.

(b) Adhibe potius lucernam ſapientiſſimi Epiteti, de quo referunt, eum ſemper cum lucerna in tenebris ſediſſe, veritatemque inquiſiviſſe, & hanc lucernam ipſum deduxiſſe ad culmen veritatis. Sed quia metuit Vindex, ne ſi hanc lucernam Epiteti adhibere vellet, de eo idem judicium feratur, quod de ſtupido aliquo homine, hanc lucernam emere volente Italus quidam Dan. Bartoli *in tr. dell' huomo di lettre Part. I. p. m.* 4. refert: *E famoſa*, inquit, *la ſcitezza d'un povero ricco, che vedendoſi un Bue, e volendo pur diventare un' Aquila, ſi comprò à gran prezzo la lucerna, al cui povero lume vegliando Epitteto divenne un Sole della Sapienza morale. Ma una lucerna poteva illuminar ben ſi le carte, ma non l'ingegno; dar luce à gli occhi, ma con che pro de gli ſtudii, ſe cieca era la mente?* Hinc vult adhibere Vindex lucernam Diogenis, qua ille non ad veritatem inveſtigandam, ſed ad mordendos homines uſus eſt, ut pueris notum. Quid igitur jam amplius mirum, quam quod non tantum veritatem aſſertionum Hertianarum plane non invenierit Vindex, verum etiam quod mordentis ac conviciantis Diogenis veſtigia in omnibus Vindiciarum lineis exſtent?

Anti-Schilterianæ angulo invenire poteris, (c) ſed ab hac demonſtrationis idea, neſcio quo fato Antagoniſta ad obſervationes quasdam ſuperficiarias de derivatione paragii & apanagii, ad deſcriptiones utriusque ex moribus Gallicis, ad vellicationes quarundam minutiſſimarum particularum diſſertationis Schilteri, ad contradictiones quatuor ſpeciebus paragii Schilteriani (d) oppoſitas; ad defenſionem parum aptam & valde inconſtantem Helenæ, de qua bellum geritur, id eſt, apanagii improprii Springsfeldiani, denique ad digreſſiones de applicatione doctrinæ ſuæ ad duo exempla de ſucceſſione duarum familiarum illuſtriſſimarum in Comitatibus & Principatibus Germaniæ, (en ſynopſin (e) totius diſſertationis in paucis verbis) dilapſus

---

(c) En effectum obſcuræ lucernæ Diogenis adhibitæ. Non poteſt in Diſſertatione Hertiana invenire illam demonſtrationem, quod doctrina de paragio ſit principiis juris publici noſtri & juri πρωτοτοκίας noxia. Inſpice modo mi cœce Vindex *Diſſert. Hert. §. 5. usque ad §. 9.* Quid in dictis paragraphis aliud quam noxiæ doctrinæ de paragio demonſtratio continetur, dum in illis exploſæ ſunt effictæ a Schiltero quatuor paragii ſpecies, quarum plerasque ad apanagiorum claſſem pertinere ibidem oſtenſum. Quilibet vero jam facilè judicare poteſt, inſigne detrimentum pati jura primogenituræ, ſi pro paragiariis illi venditentur qui revera apanagiati ſunt. Ecce accendi Tibi lucem, jam niſi mens Tua prorſus naturali cœcitate, quam alias hucusque affectatam putavi, laboret, videbis quam ineptus cenſor diſſertationis Hertianæ jam fueris.

(d) Non ſunt meræ contradictiones, ſed clariſſimæ tum in jure publico tum prudentia civili fundatæ deductiones, ut infr. adhuc videbimus, quibus non tantum quatuor illæ a Schiltero adductæ paragii ſpecies prorſus deſtruuntur, verum etiam illud ſimul implicitè oſtenditur, quod hactenus Vindex adeò anxiè quæſivit.

(e) Quare itaque illam hic exhibuiſti? Quare in *fin. h.* §. ſubjunxiſti ſummaria totius diſſertationis Hertianæ? An ideò, ut oſtenderes, promiſſam demonſtrationem in diſſertatione Hertiana non inveniri? Id forſan nemini adeò facilè perſuadebis, quia lit. (c) & (d) hujus demonſtra-

dilapſus eſt, & his expeditis, ubi lector vel maximè expectaret illam in præfatione promiſſam oſtenſionem, filum totius diſcurſus ſubito abrumpit. Quid ergo dicam? An & hic luſit Antagoniſta? An ſe excuſabit, ſe minimè promiſiſſe oſtenſionem aut demonſtrationem illam, ſed ſaltem dixiſſe, *non injucundum fore, ſi id faceret;* at vero conditionatam locutionem non eſſe promiſſionem: An etiam afferet, ſe non dixiſſe, quod applicatio doctrinæ de paragio *ſit noxia* juri primogenituræ, ſed ſolam, *quod noxia eſſe poſſit.* At vero notum eſſe, quod & doctrinæ maximè ſalutares noxiæ eſſe queant, ſi quis iis abutatur. Nolo hic quicquam definire, ſed quamvis nulla alia excuſatio, qua uti poſſit, mihi occurrat, cum tamen eæ, quas modo memoravi, nimis callidæ ſint, vellem potius autori ad quamvis, etiam ſupinam negligentiam provocanti, aut brocardico Gloſſatorum vulgato utenti veniam dare, eumque a dolo abſolvere, quam ut eum in re dubia de fraude & hic adhibita accuſem.

§. VII.

Interim nec autor, nec lector benevolus vitio mihi vertet, quod in vindiciis his nec ego aliquid dicturus ſim de uſu totius diſceptationis. Neque enim mihi propoſui ultra ea, quæ ab Antagoniſta adverſus Schilterum allata ſunt, progredi, ſed potius aliis hæc diſcutienda relinquo. Sed tamen de eo velim perſuaſos eſſe lectores, uti autor absque dubio non credidit, ſe

 litem

monſtrationis deſideratæ ſedes luculenter a nobis eſt jam patefacta. Unde plurimi de præſenti Tua longa exſcriptione diſſertationis Hertianæ id judicabunt, Te illam ipſam voluiſſe teſtem facere Tuæ imperitiæ & cœcitatis, de qua forſan adhuc quenquam dubitaturum exiſtimaſti. Si enim hanc recenſionem omiſiſſes, ſaltem ille qui diſſertationem Hertianam non habet, Tibi fidem adhiberet, quam tamen nunc apud neminem invenies, quia propria Tua relatio, in qua tamen bonam fidem admodum adhuc deſideramus, abunde docet, quam turpiter & falsò B. Hertio imputaveris, illum promiſſam demonſtrationem non præſtitiſſe. Sed tranſeant cum his cæteræ hujus §. ſarcaſticæ locutiones, quæ per ſe nunc in fumum abeunt.

litem Schiltero moviſſe ſuper vocabulo aut termino; ita & mihi certo conſtare, non meram logomachiam eſſe, cujus gratia cum adverſario diſputamus, ſed omnino in controverſiis, quæ de apanagio improprio, vel paragio moveri ſolent inter perſonas illuſtres, veram doctrinam magnum momentum afferre (a) ad earum juſtam definitionem, contra falſam doctrinam noxiam eſſe, partim illis, qui jura primogenitorum defendere ſuſceperunt, cum hoc modo non poſſint non famam & exiſtimationem ſuam apud impartiales, & omnium maximè apud poſteritatem proſtituere, partim illis, quorum jura impugnantur, b) quia & adhuc hodie in media quamvis jurisprudentiæ genuinæ luce, mundus tamen regitur opinionibus. Sed iſta quidem prolixius diſcutere, præſentis, ut dixi, non eſt inſtituti.

§. IIX.

Non tamen id alienum erit à ſcopo meo, ſi vel duobus verbis oſtendero, nec doctrinam erroneam de apanagio improprio multum prodeſſe Springsfeldianis, nec doctrinam veram de pa-

(a) Laus DEO, quod aliquid ſapidi hic proferat Vindex, alias vix tria adduxit verba, ubi non ſtuporem ingenii ſui monſtret. Pluribus vero hic non confirmabimus aſſertionem Vindicis, cum ſupr. *Sect. I.* §. 2. hæc jam a nobis ſint præoccupata.

(b) O bone Deus, quantilla eſt ſapientiæ in Vindice menſura. Delirat iterum, ne quis forſan exiſtimet, eum conſuetum inſipiendi morem exuiſſe. Sit, ſententiam noſtram noxiam eſſe tam nobismet ipſis, quam ſecundogenitis Principibus, ſufficit, modo non noceat Imperii noſtri Principatibus. Neque tamen illa damna ex hac ſententia ad nos redundantia tam gravia erunt, ut ſuperare nequeamus. Nos enim non impugnamus jura illorum, quibus revera ex indultu legum noſtrarum aliqua competunt, ſed quibus ſaltem a cerebris Dd. quædam adſcribuntur. Propterea famam atque exiſtimationem noſtram non amittemus; Videant modo illi, qui hæc jura invita noſtra Jurisprudentia ſecundogenitis tribuunt, quomodo notam temerariæ audaciæ effugiant.

de paragio noxiam eſſe poſſe majoribus natu, aut illis, qui eorum jura defendunt. Prius quod attinet, ſolent Springsfeldiani (ita enim liceat brevitatis ſtudio una voce appellare eos, qui apanagium improprium à Springsfeldio excogitatum defendunt) aſſerere, quod in apanagio improprio etiam major natu habeat jus primogenituræ propriè dictum, id eſt, quod in quæſtionibus dubiis, & quæ per pacta aut conventiones non ſunt expreſſis verbis determinatæ, in dubio ſit pronunciandum pro primogenito, (a) uti in caſu, ubi apanagium, quod proprium vocant, eſt conſtitutum. Sed præter Schilterum jam alii JCti, qui terminum apanagii improprii retinuerunt, iſtum errorem agnoverunt, & correlatum apanagio huic improprio dederunt etiam jus primogenituræ improprium, (b) cum quibus adeo, ſi litigaremus, forte logomachia foret. Sed Antagoniſtam revera hac parte Springsfeldianum eſſe, ſi non ex tota diſſertatione, certe vel ex digreſſione illa de comitatu Lippiaco pateret.

§. IX.

Quod vero doctrina de paragio non noceat majoribus natu ad defendenda ſua jura & prærogativas (ex ſolidis videli-

 cet

(a) Rectè percepiſti mentem Springsfeldianorum mi Schilteriane. Anne itaque hæc doctrina multum favet juri primogenituræ, cujus favor propter inſignia quæ ſecum fert commoda publica, per ſe alias magnus debet eſſe? ſed videamus qua ratione ea ſit noxia, id quod Vindex nunc demonſtrabit.

(b) Ridicula eſt hæc demonſtratio. Primo enim jam ſupra *Sect. I.* §. 10. *in fin.* a nobis oſtenſum, præter neceſſitatem diſtingui a Dn. Ludolpho jus primogenituræ in proprium atque improprium. Sed demus hanc diſtinctionem rectè ſeſe habere, tamen illud vocabulum improprium non poterit plus nocere juri primogenituræ, quam quantum primogenito nocet, quod ſecundogenitus talia eximia jura nanciſcatur. Diximus autem in aliis locis *ſupr. Sect. I.* ſuperioritati Territoriali primogeniti nihil officere conſtitutionem apanagii improprii, quippe quæ expreſſe in pactis primogenito reſervari ſolet,

cet juris principiis) adverſus poſtgenitos, jura ſua adverſum æqui bonique regulas extendere geſtientes, vel exinde patet, quod jus paragii quomodocunque etiam hactenus ſit expoſitum, nunquam poſtgenitos majoribus natu exæquet, ſed ſemper reverentiam debitam illis inculcet, & prærogativas primogenitorum intactas relinquat. (*a*) Unde nocet ſaltem doctrina paragii indoctis juris primogenitorum defenſoribus, qui prudentia civili deſtituti, (*b*) neſciunt prærogativis dominorum ſuorum debito modo uti, & in vanis ac jam exploſis ſententiis aſyla obſoletæ & antiquatæ jurisprudentiæ quærentes, indicant, ſe

(*a*) Utinam hic prolixius explicaſſet Vindex, in quibusnam conſiſtant prærogativæ primogeniti ſtante paragio. Sed jam callidè abrumpit, locutiones ſuas obſcuras relinquens, ne forſan, ſi earum probatio exigeretur, provocare teneatur ad mores Gallorum, qui has ſolummodo determinarunt. In Germania enim nihil conſtitutum de prærogativis, quæ primogenito præ paragiato competunt, ſed tantum novimus prærogativas primogeniti præ apanagiato. Cœterum ſi eas Vindex ponit in ſola præcedentia, parum probat. Nam & ea competit primogenito, etiam ubi nullum jus primogenituræ in Principatibus obtinet, ſed realis facta eſt diviſio territoriorum. vid. Melch. Goldaſt. *L.* 1. *d. Major. c.* 22. Quas alias forſan fingat Vindex, mihi imaginari non poſſum.

(*b*) Ecce B. L. pudendam Vindicis arrogantiam, fœdamque de ſe conceptam exiſtimationem, quaſi ille ſolus ſciret prudentiam Civilem. Forſan ſcholas Politicorum aliquando a limine ſalutavit; aut didicit Politicam ex ſcriptis Clauſ. Narrii, aut ex tractatu Politico Autoris Anonymi, cui titulus: *Nebulo Nebulonum* Genuina enim prudentiæ Civilis fundamenta ſi jeciſſet, aliter de aſſertionibus Hertianis judicaret, quippe quæ ex ſolidis Politices principiis ſunt deductæ. v. Diſſ. Hert. §. 5. *in f* & §. 13. *in f.* & *paſſim.* Tace proinde mi Vindex de Tua prudentia Civili, qui in omnibus paginis atque lineis innumera imprudentiæ Tuæ documenta edis. Diſce prius quid ſit prudentia. Ubi inter omnes definitiones, quotquot etiam earum ſunt, non poſſum Tibi meliorem commendare, quam qualem dedit Sanctus Hieronymus *d. Civit. Dei. Prudentia hominis eſt, noſſe menſuram ſuam, nec imperitia ſua orbem teſtem facere.*

ſe eos non eſſe, qui tantis ſtipendiis & ſalariis tam amplis honoribus ad jura Dominorum ſuorum defendenda honorari mereantur. Quorum character genuinus ille eſt, ut vel leviter oſtenſa eorum inſufficientia ſtatim clament de doctrinis noxiis, & inepte poſtulent, ut principes eorum ſcripta gladio defendant, qui tamen conducti ſunt, ut acta gladii calamo ſuo defendere debeant, nec principibus ſalaria dant, ſed potius hæc ab illis accipiunt. (*c*) His unice commendo dicta Lactantii de odio veritatis, (*d*) & cum jam non conſilium juridicum aut politicum ſcribam, ſed vindicias pro Schiltero, ad rem ipſam, unde paulisper digreſſus eram, revertor.

§. X. Ap-

(*c*) Deploro Vos Lectores tam avidè hucusque expectantes ex Vindice audire, quomodo paragium non noceat juri primogenituræ. Ecce Vos decepit, prolatis meris ineptiis, quæ veſtræ expectationi non reſpondent. An enim vel minimam ratiunculam adduxit, quæ Vos poſſit in ipſius partes allicere? Profectò ſi Vindex voluiſſet Vobis perſuadere, noſtros de noxia paragii doctrina clamores eſſe ad claſſem eorum referendos, quos ſæpe excitare ſolent, qui argumentis inſufficientibus inſtructi, aliter ſuæ hypotheſi applauſum aut colorem conciliare nequeunt, debuiſſet prius firmis argumentis probare, noſtras querelas fundatas non eſſe. Unde cum hoc turpiter omiſerit, licet in ſummariis ſuis promiſerit, nihil contra nos efficient, quæ Satyrico ſuo more hic crocitat. Potius ea quæ in *Sect. I. §. 4. & 12.* pluribus diſſeruimus, clariſſimè evincent, vix ullam ſententiam magis noxiam eſſe juri primogenituræ, quam quæ de paragio circumfertur.

(*d*) Dicta Lactantii de odio veritatis Vindex parum convenienter commendat B. Hertio, quia ille in præfatione diſſertationis ſuæ publicè teſtatus eſt, ſe unicè in gratiam veri amantium hujus illuſtris argumenti expoſitioni operam impendiſſe. Imo neſcio, annon potius hæc Lactantii monita ſint commendanda Vindici, qui manifeſtum veritatis oſorem eo ipſo ſe declarat, dum nonniſi frigidis ineptiis atque horribilibus abſurditatibus impugnavit aſſertiones Hertianas, quæ licet forſan veriſſimis ac ſolidiſſimis fundamentis non nitantur, (quod tamen nos jam non concedimus, idque potius cordato partibusque haud addicto Lectori judicandum relinquimus) tamdiu tamen

veræ

§. X.

Apparet vero ex ſummariis ſupra deſcriptis, Antagoniſtam in *prioribus tribus* diſſertationis ſuæ *paragraphis* agere tum de etymologia paragii & apanagii, tum de utriusque definitionibus quoad mores Gallorum, ubi & ſimul oſtendit, quomodo moribus Gallorum *paragium* à *fratragio* differat. Jam etſi circa has poſitiones nonnulla diſtinctius monere poſſim, v. g. quod *paragium* multo veroſimilius à cognatione, Gallis *parentage*, (a) quam à *Paribus* deſcendat; quod, dum Antagoniſta in definitione *paragii*, (ubi mentio fit, quod ſecundogenitus paragium teneat a primogenito, *absque tamen homagio*,) id cum

veræ manent, usque dum firmioribus rationibus ab alio deſtruantur, & qui meris nugis contra eas incedit, is hoc ipſo majorem veritatis ſplendorem illis adjicit, ac præter imbecillitatem ſuam quam monſtrat, incurrit ſimul apud bonos notam frivoli cavillatoris, omnes ingenii ſui nervos eo ſaltem intendentis, ut veritatem dubiam reddat, parumque propterea curantis, ſive id rationibus ſive ſophiſticationibus fiat.

(a) Omni dubio caret, eam eſſe veroſimiliorem derivationem, quæ præter externam literarum convenientiam ſimul naturam, indolemque rei clarè exprimit, non verò eam, quæ per multas ambages demum deducitur, & ubi tandem nondum liquido de convenientia conſtat. Unde nemo negabit, majori veroſimilitudine niti derivationem Hertii, paragium deducentis a *paribus*, nec non quæ cum hac coincidit Hottomanni *in Lex. Feudal.* a *pariatione*, quàm ſi hanc vocem cum Vindice derivemus a *parentage*, quæ cognationem denotat. Non enim ſtatim apparet convenientia inter cognationem & paragium, niſi in eo, quod in Gallia illi, qui de familia ſunt, accipiant paragium. Sed voluit forſan vanam ſuam cognitionem in lingua Gallica Vindex oſtendere, quod tamen ſi intendiſſet, melius egiſſet, derivando vocabulum parage a *partage*, quæ derivatio naturæ paragii eſt convenientior, unde paragium quoque ab aliis partagium dici ſolet. Partagium enim denotat diviſionem, paragium autem conſtituitur in Gallia per modum diviſionis.

Digitized by Google

cum Cangio exponere videtur, quaſi reſpiciatur his verbis ad *homagium*, quod præſtatur etiam primogeniti *ſeniori*, (*b*) fallatur, cum potius reſpiciat *ad homagium* ipſi fratri primogenito à poſtgenito non præſtandum; (*c*) quod, dum definitionem paragii, quam tradidit Choppinus, & ſecutus eſt Illuſtris Stryckius noſter, præcedenti Cangii definitioni opponere videtur valde erraverit, ſi ſibi perſuaſerit, Choppinum & Cangium diſſentire. (*d*) Quia tamen iſtæ doctrinæ non reſpiciunt paragium Germanicum, ſed Gallicum, nolo in illis monitis eſſe prolixior, ſed ſtatim tranſeo ad negotium principale, quod jam noſter aggreditur paragrapho quarto.

§. XI. Sci-

(*b*) Providè egiſti mi Vindex, dum Tibi ſaltem ita videri ſcribis, alias vellem manifeſtas Tuas ſophiſticationes iterum hic flagellare & detegere, quæ tamen neminem latere poſſunt, cum præpoſitio *absque* clariſſimè innuat, non reſpici a B. Hertio his verbis ad homagium aliquod præſtandum.

(*c*) Hoc adeo generaliter admitti non poteſt. Nam certè in legibus Ducatus Britanniæ, ubi paragium in frequenti uſu eſt, multa diſpoſita ſunt de homagio, quod ſecundogenitus primogenito præſtare debet, v. Leg. Ducat. Britann. ap. Argentr. *art.* 320. 321. 325. idque etiam inde amplius evidenter illuſtrari poteſt, quod d. l. *art.* 327. ſolæ ſorores, accipientes paragia a fratribus exemtæ ſint a præſtatione homagii, exceptio vero teſtatur de regula. Adde deſcriptionem paragii, quam ſupr. *Sect. I. §.* 3. ex Argentræo adduximus. Unde adeo firma negatio Vindicis non erit contra Cangium, aſſerentem primogenitum pro toto feudo dominico præſtare homagium domino feudi.

(*d*) Hic contradictionem aliquam ex particula *At*, quam adhibuit B. Hertius in ſua Diſſertatione §. 3. *in f.* elicere vult Vindex, idque pluribus declarat in Not. h. §. ſubjuncta: *Si ergo*, inquit, *putat definitionem hanc contradicere Cangio, errat, quia idem utriusque eſt ſenſus. Si vero ea non eſt mens ipſius, cur opponit per particulam adverſativam AT definitionem Choppini ſententiæ Cangii.* Verum quam turpiter hic ſuam imperitiam in lingua latina hoc ipſo prodat Vindex dici nequit. Quis enim ignorat particulam At non ſemper eſſe oppoſitivam? Sane va-

rias

§. XI.

Scilicet primaria quæſtio eſt, an diſtinctio illa Gallica inter paragium & apanagium recte à Betſio & Schiltero, oſtenſiâ tamen utrobique differentiis debitis, ad Germanici imperii regiones translata ſit. (*a*) Hic ante omnia decebat inquirere, *quomodo* id factum ſit à dictis duumviris, quod etiam Antagoniſta ſimulat, ſe ex diſſertatione Schilteri *audire* velle, ſed ſimulat ſaltem. (*b*) Etenim, ut jam iterum taceam, peccaſſe Antagoniſtam, quod tam enixe diſſimulet in tota diſſertatione, ac ſi neſciret, jam ante ſeculum Betſium illam doctrinam propoſuiſſe, (*c*) (ſaltem ut lectori inſinuare poſſit, ante paucos annos demum eam, à Schiltero videlicet, eſſe inventam,) quid hoc ſibi vult, quod Antagoniſta, dum ſimulat, ſe velle Schilteri doctrinam audire; mox tamen ſic incipiat: *Conqueritur ille §. 22. &c.* Hui, quantus ſaltus! (*d*) An Schilterus hoc demum para-

rias hujus particulæ acceptiones pueri in Scholis ad digitum numerare poſſunt. Et Vindex qui ita ſapiens videri vult hæc ignorat! Eheu quanta craſſiſſima ignorantia! Commendo proinde Vindici, ut in poſterum prius legat Turſelini particulas Latinæ Orationis, quem libellum B. Jacobus Thomaſius locupletiorem edidit, id quod in gratiam Vindicis apponere volui, ne forſan in emendo antiqua editione fraudetur.

(*a*) Obſcurè proponit Vindex cardinem quæſtionis, clarius is ita formatur: *An inſtitutum a Gallis paragii jus recte transferatur ad Germaniæ Principatus?* Nunc ſciunt Lectores quid ſit in quæſtione. Conf. h. omnino ſunt, quæ ſupr. *Sect. I.* per totam diſſeruimus.

(*b*) Nonne etiam hoc audivit B. Hertius ex Diſſertationis Schilterianæ §. 28. 29.? Nonne in diſſertat. ſua a §. 5. usque ad 9. examinavit quatuor ſpecies paragii a Schiltero allatas? An igitur hæc eſt ſimulatio? Vide quam ineptus ſis cenſor diſſertationis Hertianæ mi Vindex.

(*c*) Id falſum eſſe ad nauſeam usque jam inculcatum.

(*d*) Mordet Vindicem quod B. Hertius præcedentes §. viginti duos Diſſertationis Schilterianæ examinare omiſerit. Sed optima ratione id fecit. Nam Schilterus in dictis paragraphis nil aliud oſtendit, quam differen-

paragrapho 22. incipit exponere applicationem diſtinctionis inter paragium & apanagium? an luſit in paragraphis viginti præcedentibus? an forte aliena attulit à negotio & adeo indigna, quæ à vindice Springsfeldiano excutiantur? Age videamus. (c)

§. XIV.

Oſtendent vero ea, quæ hactenus ex Schiltero excerpſimus, quam turpiter (a) officia boni diſputatoris neglexerit Antagoniſta qui in titulo promittit, ſe acturum de commentitia (b) diſtinctione inter paragium & apanagium; qui initio

H 2 para-

differentias inter paragium & apanagium, easque ex moribus Galliæ deduxit. Jam non negavit B. Hertius, quoad Galliam multa eſſe inter hæc duo diſcrimina, quæ examinare præſentis inſtituti non ſit. Neque erat neceſſe ut diſquireretur, an hæ differentiæ in Germania obtineant, quia explofis effictis illis paragii Germanici ſpeciebus, eo ipſo ſimul corruebant differentiæ magno numero alias a Schiltero in præcedentibus expoſitæ. Nam non entis ullas affectiones eſſe poſſe noto notius eſt. Unde nunc ſtolidiſſimè egit Vindex, quod in ſuis Vindiciis tres pagellas excerptis ex diſſertatione Schilteriana inutiliter impleverit, quia ratio tractationis Hertianæ eſt multo accuratior, quam ut hiſce a Vindice maculari poſſit.

(c) Nos non videamus, partim quia hoc neceſſe non eſt, partim ne in chartis otioſe conſumendis nos Vindicem ſecutum eſſe quis exiſtimare poſſit. Qui habet diſſertationem Schilteri poteſt legere illas differentias inter paragium & apanagium, cum de hiſce adeò hic quæſtio non ſit, ſed potius, an detur paragium aliquod in Germania. Quod ſi prius certum eſt, poſtea videbimus differentias. Miſſis itaque §. 12. 13. Vindiciarum, qui continent excerpta ex Schiltero, nunc tranſeamus ad §. 14.

(a) Quæ nos in §. XI. lit. (c) (d) adduximus in defenſionem Hertii, clariſſimè nunc evincunt, quam abſona ſit Vindicis tam multa ex Schiltero excerpendi ratio. Quo ipſo nunc in illum ſimul recidit, quando calumnioſè B. Hertium accuſat neglecti officii boni Diſputatoris, non attingendo ea quæ tam prolixè ex Schiltero Vindex excerpſit.

(b) Eo ipſo dum dicit commentitiam eſſe diſtinctionem, ſimul indigitat commentitias eſſe differentias dictæ diſtinctionis, quas propterea examinare

paragraphi quarti ſimulat, ſe velle audire ex ſuccincta expoſitione Schilteri de paragio & apanagio, quomodo illa diſtinctio ad Germanici imperii regiones transferatur; (*c*) qui diſertis verbis aſſerit, ſe illi diſtinctioni potiorem advocatum dare non poſſe, quam Schilterum, (*d*) & tamen omiſſis theſibus plus quam viginti ſtatim tranſilit ad theſin vigeſimam ſecundam; & qui adeo ad illa omnia, quæ hactenus ex Schiltero recenſuimus, magis mutus eſt, quam piſcis. Quid putavit? Annon ſcivit, Schilteri diſſertationem eſſe in omnium manibus? (*e*) An credidit, lectores fore tam ſtupidos, & bardos, ut non evolverent diſſertationem Schilteri, eamque cum hoc ejus opuſculo conferrent? (*f*) Solent alias advocati, (ut in ſimili maneam de advocatis,) ubi eorum adverſarii ad puncta potiſſima poſitionum ab iis propoſitarum tacuerunt, ſolenniter acceptare, quod,

minare otioſum eſt, poſtquam demonſtratum ipſius diſtinctionis figmentum. Sanè ubi nullum datur paragium Germanicum, ibi fruſtra quæritur de ejus differentiis ab apanagio. Illud autem oſtendit B. Hertius, explodendo adductas quatuor a Schiltero paragii Germanici ſpecies, ergo has expendere operæ pretium non erat.

(*c*) Illud etiam a B. Hertio factum eſſe ad §. *praced. lit. (b)* probavimus.

(*d*) In eo quod afferat certas paragii Germanici ſpecies, non in eo quod exponat differentias inter apanagium & paragium, quippe quæ ſpectant ad Galliam, cum in Germania ob non exiſtentiam paragii, (qualem luculenter B. Hertius oſtendit a §. 5. & mult. ſeqq.) illæ uſum non præſtent.

(*e*) Anne Tu etiam ſciviſti Schilteri diſſertationem eſſe in omnium manibus? quare itaque tam prolixa excerpta ex ea hic inſeruiſti? ſaltem ut exſcriptione aliorum opellæ Tuæ vaſtitatem concilies.

(*f*) Non credidit quenquam lectorum fore tam bardum ac ſtupidum, qui non ſtatim animadverteret, otioſum eſſe in conſiderationem vocare præced. §. 22. diſſ. Schilter. quippe qui, ut ſæpe dictum, exploſis paragii Germanici ſpeciebus, non poterant non ſimul in fumum evaneſcere.

quod, dum ad ea (*g*) nihil reſpondere vel excipere potuerint, eadem tacendō conceſſerint. Annon ergo prævidit, lectores (*h*) ſimilia cogitaturos eſſe de ipſo, qui adverſus tot differentias paragii & apanagii a Schiltero in theſibus excerptis adductas ne hiſcit quidem. Deinde ex excerptis theſeos vigeſimæ primæ & ſecundæ patet, Schilterum differentiam paragii & apanagii, quam ibidem tradit, per modum concluſionis (*i*) de-

duxiſſe

(*g*) Ad impertinentia Advocatum aut partem litigantem reſpondere non teneri ruſtici norunt. Talia autem hæc eſſe, ex hactenus dictis abunde conſtabit. Cœterum dum Vindex hic iterum ad Advocatorum morem provocat, & ex eo probare vult inconvenientem brevitatem tractationis Hertianæ, haud oſcurè eo ipſo innuit, ipſum eſſe ex illorum Cauſidicorum numero, quorum, ut Carpzov. *P. I. Conſt. I, Def.* 47. loquitur, *omnis cura, omne exercitium, omnis conatus, omnis cogitatio unice circa litium protelationem conſiſtit, quamque ut modo conſequantur, non curant, otioſis atque copioſis verbis ſcripta ſua accumulare, Exceptiones quandoque etiam contrarias & incompatibiles proferre, eum ſaltem in finem, ut Burſam clientum corrumpant, iis perſuadentes, tot verba, tantum laborem, tantamque moleſtiam negotium requirere.* Etenim ad quid aliud quam ad inutilem materiæ protactionem conduxiſſet prolixa conſideratio differentiarum inter apanagium & paragium a Schiltero allatarum, quæ potius Erudito Lectori nauſeam creaſſet, tandem in Diſſertatione Hertiana legenti, nullum prorſus paragium Germanicum dari? Ecce quam indefeſſus Rabuliſtarum imitator Vindex ſit, idquod adeò non reprehenderemus in eo, modo has artes pro ſe retineat, nec ut etiam alii eas imitentur, tam impudenter poſtulet.

(*h*) Non eruditos, verum ineptos, cujus farinæ Vindex eſt.

(*i*) Falſum eſt, quod habeant rationem concluſionis ſequentia in Schiltero, cum in iis quaſi præjudicialis quæſtio moveatur: *An ſcil. detur paragium Germanicum?* Quam affirmavit Schilterus per allatas certas paragii Germanici ſpecies. Nonne vero magis eſt, ut dicamus, affectiones eſſe conſequens ipſius rei, quam rem conſequens affectionum? Ipſa ſane paragii Germanici exiſtentia non fluit ex illis adductis differentiis ab apanagio, quamvis hæ ſint illius conſequens, ſi

certum

duxiſſe ex differentiis præcedentibus. Jam igitur, dum Antagoniſta Schilteri hanc demum concluſionem aggreditur, intactis præmiſſis, novam & hactenus inauditam (*k*) methodum diſputandi commentus eſt, negandi concluſionem conceſſis præmiſſis. At vero hoc non eſt refutare Schilterum, & ea, quæ pro diſtinctione paragii & apanagii attulit, ſed eidem ſimpliciter contradicere. (*l*) Quod ſi hæc ejus mens eſſet, non opus erat, ſeptem plagulas implere poſitionibus ad rem non pertinentibus, ſed poterat rem breviſſimis verbis expedire. (*m*) *Ait Schilterus, paragium cum apanagio non eſſe confundendum, nec apanagium improprium eſſe ſpeciem apanagii:* *EGO VERO CONTRADICO.*

§. XV. Vi-

certum ſit paragium Germanicum dari, quemadmodum & paragio ſublato, neceſſe eſt differentias evaneſcere. Rectius Schilterus egiſſet, ſi initio ſuæ diſſertationis oſtendiſſet dari Paragia in Germania, quo demonſtrato, potuiſſet cum firmitate ſubjungere differentias paragii Germanici ab apanagio. Fundamento infirmo fruſtra quædam ſuperſtruuntur.

(*k*) Tibi forſan mi Vindex hæc methodus Hertiana ſolummodo eſt nova & inaudita, quia hucusque in prolixo Rabuliſtarum modo ſcribendi quem lit. (g) ex Carpzov. deſcripſimus, tam inſignem delectationem quæſiviſti, ut aliorum methodo omnem audientiam denegaveris.

(*l*) Mentiris, quod B. Hertius ſimpliciter Schiltero contradixerit. Lege *§. 5. usque ad* §. *9. Diſſ. Hert.* ubi paragii Germanici ſpecies, a Schiltero effictas commentitias eſſe, ſolidiſſimis ex argumentis oſtendit. Qua fronte itaque hæc de B. Viro ſcribis?

(*m*) Poteras hic calumnioſas Tuas dictiones parcius admetiri, quia omnes in Te recidunt. Nam ſi Tua mens fuiſſet (qualem in omnibus lineis hucusque jam ad nauſeam oſtendimus) nonniſi mentiri, conviciari, atque ineptire, non opus fuiſſet, tot plagulas in defenſionem Schilteri conſcribere. Vix enim decem lineas efficiet, ut multum dicam, ſi quid adhuc ſapidi in hisce Vindiciis continetur. Nam ubi ratio a Te ejuratur, & omnia alia remedia conſumta ſunt, nihil aliud ſupereſt quam ſatyra, ſophiſta, & ineptus cavillator.

§. XV.

Videmus ergo, (*a*) Antagoniſtum non impugnare Schilterum, ſed vellicare ſaltem. Neque enim & illam differentiam, de qua Schilterus theſi 21. & 22. egerat, totam aggreditur, ſed notat ſaltem, quod Schilterus in theſi poſteriore dixerat, *paragium cum apanagio confundi : apanagium non eſſe jus reale, ſed perſonale : item apanagium vita finiri. Adverſus iſta,* Noſter dicit, *MULTA NOTARI MERENTUR.* Ergo jam ſtrenue pro Schiltero pugnandum erit. (*b*) Incipit Schilterum urgere ex propria ejusdem confeſſione. Quid ergo faſſus eſt? Scilicet in theſi 36. dixit, *denominationem apanagii improprii jam* irrepſiſſe in forum, *ut etiam in* teſtamentis, pactis, & ſucceſſionibus principum *reperiatur, nec nos oportere eſſe ita delicatos, ut ejusmodi* loquendi modum *eliminare velimus, aut res ipſas pro nullis habendas. Sane* narrandum *eſſe cum multis, & loquendum cum vulgo, cum verba valeant, ſicut nummi.* Hæc eſt illa confeſſio Schilteri, ex qua eum condemnare vult Antagoniſta : quoniam vero is hactenus ſe valde ſuſpectum reddidit, videndum ante omnia erit, an bona fide excerpſerit. Tranſit Schilterus in allegata theſi a parte theoretica ad practicam, & illi *duo monita* præmittit, unum de *more loquendi*, alterum *de modo argumentandi.* (*c*) Ad primum pertinent verba ab Antagoniſta excerpta. *Alterum eſt*, pergit Schilterus, *quod* priori in ſubſidium *venire debet, ne quando in ejusmodi* abuſivam *appellationem*

(*a*) Hactenus hoc non vidimus.

(*b*) Ergo jam acre erit certamen. O Pacem Te poſcimus omnes! Tranſigamus mi Vindex amicabiliter, aut ſi pugnare mavis, armis *juris*, non vero *furoris*, ut Caſſiodor. *c.* 7. *or.* 1. inquit, in certamen prodeas. Sed væ jam capiti noſtro!

(*c*) Jam ſupr. *Sect. I.* § 11. probatum, diſtinctionem Schilteri inter *modum loquendi* & *modum arguendi* quoad præſens negotium non minus eſſe commentitiam, quam ipſa diſtinctio paragii & apanagii in Germania eſt. Omne enim argumentum debet deſumi ex lege, at in omnibus legibus noſtris Germaniæ ne quidem veſtigium paragii exſtat.

tionem in pactis aut teſtamentis incidimus, jus cavillemur, *& ex natura apanagii ad hanc contradiſtinctam ſpeciem paragii argumentemur.* Hæc cur omiſerit Antagoniſta, & ſic fallaciam diviſionis committere voluerit, nulla alia ratio dari poteſt, (*d*) quam, quia facile prævidebat, lectori, ſi integrum Schilteri locum appoſuiſſet, ſtatim fuiſſe apparitutum, quam obtuſum ſit telum, quo iſtam quaſi confeſſionem Schilteri Noſter petiit; quamvis etiam, ſi mens non læva fuiſſet, potuiſſet & debuiſſet prævidere, etiam fallacia illa admiſſa (*e*) neminem extra partes poſitum acumen vel minimum in iſto ſpiculo inventurum eſſe.

§. XVI.

Eſto enim: Dixit Schilterus, denominationem apanagii improprii *irrepſiſſe in forum*, reperiri vocem *apanagii* in *teſtamentis* & *pactis ſucceſſoriis* principum, ubi tamen revera *paragium* ſubintelligi debeat, (*a*) item: hunc *loquendi* modum non eſſe eliminandum: & *NARRANDUM* eſſe cum multis &c. Quid inde vult inferre Antagoniſta. *Ecquis igitur* inquit *privato permiſit, doctrinam ante non receptam in juriſprudentiam Germanicam introducere?* Vides, brevis eſt in refutando Schiltero, & in hac ſingulari brevitate vel ſingulare acumen quæſivit, vel peccatum a Schiltero commiſſum putavit ſic eſſe apertum, ut pluribus argumentis non fuerit opus, ſed ſuffecerit vel unica ironice inſtituta interrogatiuncula. (*b*) Si non alia mihi eſſent indicia, *introdu-*

(*d*) Quam quia vanum ſit commentum, quod de modo arguendi profert Schilterus, evaneſcente ſimul oſtenſo ipſo paragii figmento.

(*e*) Mentiris iterum mi Vindex, proinde non credent Tibi Lectores, apud quos propter innumera Tua mendacia jamdudum fidem decoxiſti. Oſtendi hucuſque plane non ſubeſſe aliquam fallaciam in omiſſa ulteriori loci Schilteriani exſcriptione quia ea videbatur eſſe otioſa.

(*a*) Petis principium mi Vindex. Da rationem ſolidam, quare paragium ſubintelligi debeat, ex ridiculo Tuo modo arguendi, omni authoritate legum deſtituto, hactenus nihil probaſti.

(*b*) Mordet Vindicem, quod ita dilucidè temeritatem Schilteri ob oculos erudito

hanc totam diſſertationem eſſe foetum genuinum juvenis, in republica literaria parum verſati, ſed mire præjudicio autoritatis ſcholaſticæ adhuc infecti, vel hoc unicum mihi ſufficeret, quod ad defendendam veritatem ſententiæ alicujus nulla alia re opus eſſe arbitretur, quam provocatione ad venerandam antiquitatem, & doctrinas magiſtrorum noſtrorum, & quod Schilterum ex propria confeſſione, quod apanagii improprii terminus in forum irrepſerit, & quod *NARRANDUM* ſit cum multis, condemnet tanquam eum, qui evidenter propriam allegaverit turpitudinem. Quot enim, & quam arcta in iſta interrogatione lateant vincula, Schilterum tam conſtrictum tenentia, ut evadere non poſſit, patebit, ſi quis modo ſingula ejus verba ponderare velit, nimirum quod Schilterus, *tanquam* videlicet *PRIVATUS, & absque PERMISSIONE,* (credo ab aliqua inclyta facultate juridica, aut planè à ſacra Cæſarea Majeſtate, vel certe à Comite Palatino impetrata) *DOCTRINAM,* (inter quam & vocem vel terminum ipſi non eſt major differentia, quam inter *ves* & *va*) *ANTEA NON RECEPTAM* (cum haud dubie fur IRREPENS in ædes Patrisfamilias, ex hac ipſa Patrisfamilias confeſſione, habeat antiquiſſimam poſſeſſionem, & Paterfamilias ex propria confeſſione ANTEA NON RECEPTUS fuerit in Domo ſua) *in JURISPRUDENTIAM GERMANICAM:* (quæ rurſus ex propria Schilteri confeſſione eadem plane eſt cum FORO, ſeu cum pragmaticis forenſibus,) *INTRODUCERE* (poſtquam ſcilicet ea jam ante ſeculum erat intro-

I duċta)

eradito orbi poſuerit B. Hertius, jam igitur ultionem molitur, & carpit brevitatem Hertii in refutando Schiltero. Sed ridiculè. Anne enim forſan Vindici diſplicet modeſta ac moderata Hertii brevitas in reprehendendo temerariam audaciam Schilteri, propria authoritate invita noſtra Jurisprudentia paragium ad Germaniam applicantis? Vel viditne quæ graviter & prolixè B Hertius in ſua diſſertatione contra Schilteri effictas paragii Germanici ſpecies diſſeruit?

ducta) *voluerit*. Miror, Pragmaticos, quos valde hactenus pupugit, quod nemo inventus fuerit, qui Antonium Fabrum, Chiliada pragmaticorum errorum ſcribentem refutare voluerit, hactenus ignoraſſe inventum Antagoniſtæ noſtri, aut eum non cauſæ ſuæ Advocatum elegiſſe. Is enim haud dubie unica hac quæſtione Antonio Fabro, quamvis mortuo, ruborem excuſ„ ſiſſet maximum. Ecquis enim Fabro, homini privato, per„ miſit, doctrinam antea non receptam, adverſus errores prag„ maticorum in juriſprudentiam introducere? cum tamen Fa„ ber ipſe diſerte confeſſus ſit, errores hos Pragmaticorum jam „ diu irrepſiſſe in forum, ut in omnibus pene judiciis regnent. Poſſit etiam alicui, imbuto doctrina juriſprudentiæ, quam Antagoniſta profitetur, & ſecundum quam forum ſeu pragmatici forenſes unum idemque ſunt cum juriſprudentia, in mentem venire, ut titulum libro Fabriano novum det *de erroribus juriſprudentiæ*, & ſic ironia hac omni ſale carente, falſe irrideat & pungat iſtum novatorem, venerandæ antiquitati, quamvis erroneæ, tam turpiter inſultantem. (*c*) Id unicum timeo, ne forte

(*c*) Propter inſignem malitiam Vindicis celare hic nequeo, quam multis ex indiciis comprobatum hactenus habui, hanc totam Vindiciarum compoſitionem eſſe fœtum genuinum nefarii cavillatoris, meris Sophiſticationibus, ineptiis, ac ironicis locutionibus pleni, nec micam probitatis poſſidentis. Atque ne quis exiſtimet, me ſolummodo animo cavillandi hæc ſcribere, provoco inter omnes alios ad hunc unicum §. in quo ad impugnandum B. Hertium nulla alia re opus eſſe arbitratur, quam in medium prolatis ineptiſſimis ironiis, ſcurrilibus jocis, horribilibus abſurditatibus, quibus apud pueros riſum & applauſum quidem forſan excitaret, verum apud honeſtos atque graves Viros nullam approbationem, verum potius juſtiſſimam indignationem ſentiet. Neque enim ſtolidiorem methodum refutandi me unquam apud aliquem inveniſſe, ingenuè fateor. Proinde non credo, quenquam Lectorum tam patientis ſtomachi unquam futurum, qui non nauſeet ad hæc innumera inſulſi Vindicis monſtra. Atque ne egomet ipſe patientia eruditi Lecto-

forte quis Schilterianus ironiam Antagoniſtæ adverſus ipſum retorqueat, & non diffitentem, nec diffiteri potentem, quod Springsfeldius primus diſtinctionem inter apanagium proprium, & improprium invenerit, & improprium illud primus in jurisprudentiam Germanicam introduxerit, iterum interroget: *Ecquis Springsfeldio permiſerit, doctrinam antea non receptam in juriſprudentiam Germanicam introducere.* Nam valde vereor, ne id quod ad hanc quæſtionem Antagoniſta ſit reſponſurus, meliori jure adverſus ipſum retorqueant Schilteriani, quo certius eſt, ante Springsfeldium, neminem ne quidem per ſomnium cogitaſſe de apanagio illo improprio. *(d)*

Lectoris abutar, abſit a me, hiſce ineptiis uno verbulo dignari; plus enim nobis in glorium eſt, viciſſe Vindicem in iis, quibus refellendis infans unius anni ſufficit, cui jam recta ratio ſuggerit, a diverſis ad diverſa nunquam valere illationem, & inſtantias ſi quis dare velit, eas ſubſtratæ materiæ debere eſſe conformes.

(d) Stolida eſt hæc retorſio ob inſignem inſtituti Schilteriani & Springsfeldiani diſſimilitudinem. Præter ſolum enim terminum *improprium* nihil in Jurisprudentiam invexit Springsfeldius, quo ipſo tamen nec quicquam novi introduxit, dum res, quæ hoc ipſo exprimitur, a longo tempore ante eum tum in Germania jam obtinuit, tum in Jurisprudentia noſtra cognita fuit. Adhæc Springsfeldius non mutavit genus, ſed apanagii, quod introducto jure primogenituræ ſimul in Germaniam receptum, exiſtentiam remanere dicit, quoties eſſentia ejus non eſt transmutata, id quod ſupr. *Sect. I.* §. 10. amplius roboravimus, ubi ſimul § 9. oſtendimus, eſſentiam apanagii non mutari iis in caſibus, in quibus paragium obtinere diſſentientes alias tradunt. At Schilterus non tantum terminum exterum, verum etiam ejus doctrinam juri primogenituræ & apanagii prorſus contradiſtinctam ad Germaniam applicare intendit. Paragia verò nunquam in uſu fuere Germanis, ſed tantum apanagia. Ecquis igitur jam non videt luculentam diſparitatem? Unde rideo, Vindicem velle reſponſionem, quam nos ineptæ ſuæ retorſioni jam regeſſimus, interrogationi Hertianæ iterum reponere.

§. XVII.

Similis planè, id eſt, valde obtuſi (*a*) acuminis eſt quæſtio altera, quæ apud Noſtrum ſtatim ſequitur. *Et, ſi paragium,* ait, *cur non etiam fratragium civitate Germanica donamus?* Nam (1) quis prohibet? (*b*) (2) liceat iterum contra quærere: Si appanagium, cur non & paragium civitate Germanica donare liceat? (*c*) aut (3) ſi non licet ab apanagio ad paragium argumentari, nec licebit Antagoniſtæ à paragio inferre ad fratragium. (*d*) (4) Quod fratragium hactenus non fuerit civitate Germanica donatum, forte ideo factum, quia ejus ſimilitudinem in Germania non invenerunt JCti, (*e*) cum *frerage* apud Gallos vocetur, ubi frater ſecundogenitus partem hereditatis à primogenito in feudum accipit, ut ipſe Antagoniſta adduxit in paragrapho præcedente.

§. XIIX.

(*a*) Eſt ea forſan talis in Tuo ſoliditatibus prorſus obtuſo ingenio.

(*b*) Ridicula eſt quæſtio, idem quaſi quis quærere vellet: *Quis prohibet Aſinum creare in Doctorem?*

(*c*) Falſum eſt, quod doctrina Gallorum de apanagio civitate Germanica donata ſit. Nam uti apanagiorum conſtitutio dependet ex cujuslibet regni aut Principatus diſpoſitione, ita quoque in Germania recepto jure primogenituræ, peculiaria circa apanagia jura obtineut, & in iis quibus nil certi conſtitutum, ſequimur diſpoſitionem juris Naturalis, non exterorum jura, niſi a nobis publica authoritate ſint recepta. Neque propterea quod terminum apanagii, qui quoad originem ex Gallia deſcendit, in ſcriptis publicis in Germania adhibere ſoleamus, exiſtimandum eſt, nos jura Gallorum circa apanagia ſimul recepiſſe, ut jam ſupr. *Sect. I.* §. 7. monitum.

(*d*) Eſt mirabilis argumentatio & ſophiſticatio, cujus falſitas liquidò apparebit data ſimili inſtantia: ſi non licet inferre ab aſino ad Hominem Sileſium (qualem illationem alias vulgus facit, eamque Vindex procul dubio improbabit,) nec licebit inferre ab Homine Sileſio ad Vindicem noſtrum. Nonne vere Vindex eſt Homo Sileſus?

(*e*) Hercule fortiſſima ratio. Deprædicarem omninò infinitis encomiis inſignem hanc ingenioſitatem Vindicis, niſi habeat craſſiſſimum errorem

§. XIIX.

Quorſum vero jam pertinent ſequentia apud Antagoniſtam? *Quod ſi vocabula Germanica:* Abfindung *& Deputat examinemus, ea tam de proprio quam improprio apanagio uſurpari, in propatulo eſt.* Quis jam divinaret, intendere Antagoniſtam, ut in his & ſequentibus verbis velit contradicere Schiltero, ſcilicet illis Schilteri verbis, quæ ex ejus theſi quinta ſupra excerpſimus paragrapho duodecimo. Quod ſi vero ipſam theſin quintam evolvas, deprehendes, nihil hic contineri, quod vel minimam doctrinæ Schilterianæ refutationem ſapiat, ſed eſſe meram contradictionem, imo ne hanc quidem accurate loquendo, cum Schilterus diſerte provocet *ad juridicam & (a) accuratam locutionem*, Noſter vero de *narratione vulgari (b)* loquatur. Unde ſtatim ſentitur, quam omni pondere ſint deſtituta ea, quæ apud Antagoniſtam ſequuntur: *Quanquam Limnæus ſcribat: ſe non dubitare, magnam eſſe differentiam inter* abge-

 theilte

rorem admixtum, quem vereor ne Tyrones juris ſtatim animadvertant, meque ipſum reprehendant, ſi adhuc encomiaſtam ineptiarum Vindicis agerem. Nonne enim lippis atque tonſoribus eſt notum, leges, quibus Jurisprudentia noſtra conſtat, tantum ferri ab iis, quibus legislatoria facultas in Imperio noſtro competit? Sed ubi nunc manet JCtis leges condendi poteſtas ſalva, quam Vindex iis hic tribuit in eo, quod exiſtimet, poſſe JCtos propter ſimilitudinem caſuum jura peregrina in Jurisprudentiam noſtram introducere. En horribile dogma, quo an quicquam magis poſſit authoritati Legiſlatorum eſſe noxium, valde dubito. Unde metuo, ne nunc mox in Academiis hoc generale axioma fabricemus: *Omnia jura peregrina in Imperio noſtro obtinent, in quantum inveniunt JCti noſtri eorum cum noſtris inſtitutis ſimilitudinem.* Quantus vero nunc erit campus Jurisprudentiæ, ubi etiam peregrina jura nobis ſunt ſtudenda, ut propter ſimilitudinem ea applicare poſſimus.

(a) Illam accuratam & juridicam locutionem eſſe commentitiam, omnique genuino fundamento deſtitui, in præcedentibus multoties dictum.

(b) Quæ accuratior & magis juridica eſt, quia congruit noſtris receptis in Germania juris publici principiis.

theilte und abgefundene Herren / *de quo diſcrimine* (tamen, & quod videlicet voluerit juridice & accurate loqui) *ipſe viderit*, (quam intempeſtive ſcilicet deſeruerit receptam in jurisprudentia Germanica confuſionem utriusque.) *Nam alii* (ſcriptores) *duo hac pro Synonymis apanagiatorum habent*, (qui ſcilicet maluerunt narrare cum multis, aut loqui cum vulgo, vel non auſi ſunt, tanquam privati, abſque permiſſione doctrinam antea non receptam in jurisprudentiam Germanicam introducere. (*c*) Quem non puderet tam miſeræ ratiocinationis & impugnationis Schilterianæ doctrinæ? (*d*)

§. XIX.

Verum pudeat, quemcunque velit, Antagoniſta noſter fronte caret. Nam impudenti ſarcaſmo jam Schiltero impntat doctrinam, quæ ei nunquam in mentem venit, ſolum ut nonnulla de ſignificatione uſusfructus in doctrina de apanagio, de qua

(*c*) Non neceſſe fuiſſet, ut Vindex ſuas annotationes per incluſionem in parentheſes diſtingueret a verbis Hertii, quia ineptias ejus ab eruditis traditis Hertii diſcernere non multum difficultatis eſt, præſertim in *h.* § , qui propter jocoſum ac futilem Vindicis refutandi modum æqualem ad riſum & ad fletum efficaciam obtinet. Cæterum nos jam ſupr. *Sect. I. §. 8.* notavimus, indubitatum eſſe, hæc vocabula in ſcriptis publicis promiſcue ſumi, quia conſtat, in illis etiam eos haud infrequenter abgetheilte Herrn vocari, quos apanagiatos propriè tales eſſe nemo ambigit. Ut itaque ſtylus publicus loquitur, ita & nos judicare debemus.

(*d*) Miror Vindicem usque adeò omnem pudorem exuiſſe, ut non erubuerit, non tantum puerilibus argumentulis contra diſſertationem Hertianam hucuſque incedere, verum etiam inſuper talia calumnioſa verba in B. Virum evomere. Sane non mirarer, nec quererer de eo, modo ullam ejus cauſam Vindex habuiſſet, atque doctrinam Hertianam firmis rationibus deſtruxiſſet. Aſt cum non literula ſit, ut maximam partem jam oſtendimus, quam poſſit Vindex in diſſertatione Hertiana aliqua ratione culpare obſtupeſco, quo pudore ita maligne adhuc poſſit exclamare, quaſi eo ipſo Vindicis officio optime functus ſit.

de qua re Schilterus nullam litem ipſi movit, (a) differere, & chartam excerptis prolixioribus ex pactis Oſtfriſienſibus implere potuerit; quæ adeo omnia tanquam ad ſcopum noſtrum haud pertinentia omittemus, ſi modo imputationem autoris impudentem eſſe oſtenderimus. *Quis vero unquam audivit, in Germania apanagium proprie ſic dictum cum apanagiati vita finiri?* Vides hic Schiltero imputari, ac ſi theſi decima ſeptima & vigeſima ſecunda non concedere voluerit, quod apanagium debeatur etiam deſcendentibus maſculis poſtgenitorum, (b) cum tamen ſupra (c) jam oſtenderim, plane aliam fuiſſe in iſtis verbis

(a) Erat omninò neceſſe, ut B. Hertius explicaret, qua ratione apanagium haberet naturam uſusfructus, ſcil. ut jam ſupr. *Sect. I.* §. 7. docuimus, ſolummodo intuitu reſtrictæ facultatis alienandi, quæ apanagiato non licita eſt, ſi ſine prole maſcula moriatur. Interim poſſe & uſufructuario tali competere jus de uſufructu conceſſo diſponendi, ex pactis Oſtfriſienſibus egregiè B. Hertius oſtendit. Omnia nunc eum in finem, ut Schilterum convinceret, qui ad apanagiatos ſolum jus perſonale, i. e. jus utendi fruendique cum vita ipſorum intermoriturum tranſire, ſtatuerat. Nam uti Vaſallus accipiens feudum pro ſe & ſuis hæredibus, acquirit jus reale ad ſuos hæredes tranſitorium, ita quoque apanagiatus, quia illi non minus ut Vaſallo utile dominium in apanagium tribuitur. Sringsfeld. *d. apanag. c ult. n* 81. *ſequ.*

(b) Aut Vindex non intellexit vim quæſtionis Hertianæ, aut non intelligere voluit, aliàs tam abſonum quid ex ea non eliceret. Etenim turpiter delirat, quando ſcribit, B. Hertium hac ipſa imputare voluiſſe Schiltero, quaſi ille neget apanagium deberi deſcendentibus maſculis poſtgenitorum, nam illud plane a mente quæſtionis alienum eſt, quæ in eo potius reſidet, quod B. Hertius oſtendere velit errorem Schilteri, exiſtimantis ſolum jus perſonale apanagiatos acquirere, eorumque deſcendentes non jure reali, ſed tantum perſonali apanagium petere poſſe. Unde circa ipſum jus petendi apanagium Schiltero nullam controverſiam movet, ſed tantum circa qualitatem petitionis, an ex jure reali, an perſonali deſcendentes apanagium petere poſſint.

(c) Locus ad quem Vindex hic provocat eſt paragraphus ejus XIII. (quem non inſeruimus ex ratione ad §. 11. allata) ubi in Not. lit. (b) locum Schilteri

bis Schilteri intentionem. Et ne forte Antagoniſta ſe excuſare poſſit, quod bona fide erraverit, & non recte perceperit mentem Schilteri, ruborem ſi non ipſi, certe Lectori excutiet locus Schilteri, ad quem ipſe Antagoniſta provocat, deſumtus ex ejus inſtitutionibus juris publici, ut in quo expreſſe mentionem *deſcendentium* facit Schilterus. (*d*)

§. XX.

Poſtquam hactenus tot errores & Sophismata ex unico paragrapho quarto annotavi & ad oculum monſtravi, (*a*) quieſcendum erit paulisper, & mihi, tot laboribus in expurgando Augiæ ſtabulo adhibitis feſſo, (*b*) venia danda, quod in ſequentibus breviore methodo ſim uſurus. Etenim integro volumine opus eſſet, ſi & in ſequentibus paragraphis Antagoniſtæ ſingula ſophismata adnotare, (*c*) &, ut hucusque factum, vivis (*d*) coloribus ea depingere vellem. Igitur non ægre, ſpero, feret Lector partibus haud addictus, quod in ſequente capite

Schilteri explicaverat ex jure Romano, multaque de Uſufructu Romano ad præſentem materiam traduxerat, quæ tamen applicatio prorſus inconveniens eſt, quia apanagium multis modis differt ab Uſufructu Romano, cumque eo ſaltem quoad ademtum alienandi jus convenire videtur v. Springsfeld. *d. Apanag. c. ult. n. 81. ſequ.*

(*d*) Neque ille locus Schilteri ex ejus *Inſt. Jur. publ. L. II. Tit. 9 §. 13. p. 305.* quicquam efficit ad convincendum Hertium erroris, poſtquam lit. (b) oſtenſum, ipſum nunquam Schiltero imputaſſe, quaſi negaverit, non deberi deſcendentibus poſtgenitorum portionem in ſuſtentationem legitimam.

(*a*) Vana eſt Tua mi Vindex jactantia, nam ne unum hactenus vidimus.

(*b*) Melius egiſſes ſi Tuum putridum ingenium expurgaſſes, quod inſigni expurgatione indiget.

(*c*) Ne una quidem linea opus erit, quia uti hactenus ita quoque in ſequentibus nulla Sophismata occurrent, ut videbimus.

(*d*) Miranda eſt Vindicis impudentia in diſſeminandis tam manifeſtis mendaciis.

capite errores Noſtri ſaltem per (*e*) indicem ſim monſtraturus. Reſervabo tamen mihi eorum declarationem ulteriorem in ſecundis curis faciendam, ſi iis opus fuerit. (*f*)

(*e*) Relinquo etiam judicio Lectoris partibus haud addicti, annon prorſus abſurdiſſima ſit hæc Vindicis methodus, qua præcedentia tanquam præcognita nimia prolixitate perſtrinxit, nunc ubi principalis controverſia eſt enucleanda brevis eſſe vult. Quis negabit, inconditum eſſe oratorem, prolixum exordium facientem, & abrumpentem ubi ad propoſitionis tractationem procedit? Multò magis autem id reprehendendum erit in eo, qui impugnat alterius doctrinam, cui ad id, in quo punctum contentionis reſidet, potiſſimum omnes nervos ſuos intendere incumbit. Nemo autem erit neſcius, omnem controverſiæ cardinem unicè inniti quatuor illis a Schiltero adductis ſpeciebus paragii Germanici, hæ enim ſi commentitiæ ſunt, eſt ſimul commentitia diſtinctio paragii & apanagii in Germaniæ Principatibus, fiuntque commentitiæ differentiæ hujus diſtinctionis. Jam in ſequentibus aggreſſus eſt B. Hertius impugnationem harum quatuor paragii Germanici ſpecierum, easque feliciter exploſit, oſtendendo, plerasque ad apanagiorum claſſem ſpectare. Nunc itaque debebat defenſor paragii omnem operam impendere, ut ejus exiſtentiam defenderet, jam enim res agitur, ſi nunc pugnam perdat, omnis ſimul fruſtraneus redditur ejus in præcedentibus adhibitus labor. Sed inconvenienti brevitati nunc ſtudet, quæ nobis tamen jam in tantum proderit, ut non tenear ut in poſterum tantum temporis impendere diluendis Vindicis deliramentis, quemadmodum præterea etiam non multa in ſequenti Sectione annotabimus, ſed nos ſemper remittemus ad Sectionem primam, ubi maximam partem hæc omnia jam ſunt præoccupata.

(*f*) Id adhuc in tali a Vindice affectata inſulſa brevitate nobis eſſe poteſt ſolatio, quod in ſecundis curis fuſiorem dictorum ſuorum declarationem promittat, quas ſi forſan præſens labor promoveret, haberem de quo mihi & aliis gratulari poſſem. Atque cum poſteriores cogitationes prioribus plerumque ſoleant eſſe meliores, ſperamus quoque de Vindice majorem in ſecundis curis ſobrietatem atque ſoliditatem, modò id ab eo precibus impetrare poſſimus, ut ſi reſponſione aliqua noſtras ſtricturas dignatus fuerit, eam non conſueto ſophiſtico ac cavillatorio ſtylo exaret, quanquam hoc forſan fruſtra a nobis optatur, quia ſi exiſtimationis atque famæ Magni Hertii, ceu

Viri in omnium veneratione exiſtentis, rationem in parandis ſuis Vindiciis prorſus ſepoſuit, vix parcebit minimo diſcipulorum Hertianorum. Sed reſpondeat, quomodocunque velit, cordatiores id ſcient interpretari.

SECTIONIS SECUNDÆ CAPUT SECUNDUM,

exhibens

CASTIGATIONEM IN VINDICIARUM HALLENSIUM *CAPUT TERTIUM.*

CONSPECTUS

VINDICIAR.	CASTIGAT.
§. I. *IN §. 5. Antagoniſtam inconvenientem ſaltum iterum commiſiſſe.*	*OStenditur, in eo vindicem iterum ineptum judicium de tractatione Differt. Hertiana ferre.*
§. II. *Et ſpeciem primam paragii ſaltem nuda contradictione voluiſſe refutare.*	*Et meras eſſe petitiones principii, quibus argumenta Hertii prima paragii ſpeciei oppoſita, impugnavit.*
§. III. *Item ſecundam in §. 6.*	*Eaque demonſtratio & in ſecunda continuatur.*
§. IV. *Contra tertiam vero multas fallacias cumulaſſe.*	*Eſſe hæc mera Vindicis ſcommata, dilucidè probatur.*
§. V. *Unde facilè elidi poſſunt in §. 8. contra quartam paragii ſpeciem.*	*Unde jam ex iis non eliduntur dicta Hertii in §. 8. nec Vindicis abſurditatibus eliſa eſſe demonſtratur.*
§. VI. *In §. 9. Antagoniſtam novam indagationem apanagii fruſtra aggredi.*	*Id prorſus a Vindice non eſt probatum.*
§. VII. *Nec definitionem novam paragii ei quicquam prodeſſe ad ſu-*	*Nec minus quod hic jam promittit.*

VINDI-

Vindiciar.	Castrigat.
ſtinendum πρῶτον ψεῦδος, quod apanagium etiam poſſit per diviſionem conſtitui.	
§. *VIII. In* §. 10. *Antagoniſtam parum pudenter & parum logicè diſputare contra Schilterum, apanagium improprium deſtruentem.*	*Uti ſemper ita quoque hic minus ſobrie Vindicem de modo differendi Hertiano judicare, clarè ob oculos ponitur.*
§. *IX. Duæ breves obſervationes ad Antagoniſta tradita in* §. 11. *de natura apanagii proprii.*	*Sunt quidem breves, una tamen earum admodum abſona eſt, altera etſi majoris momenti a Vindice tamen non ſufficienter definita.*
§. *X. Strictura ſummaria in* §. 12. *Antagoniſta.*	*Et hæ quoque ſummariter ſunt refutatæ.*
§. *XI. Item in* § 13.	*Nec minus quæ in h.* §. *ſunt propoſita.*
§. *XII. Monita quædam de quæſtione: An præſumtio pro jure primogenituræ jure ſit favorabilis, an odioſa.*	*Ea parum accurata & ſobria eſſe paucis monitum.*
§. *XIII. In dictis ab Antagoniſta* §. 14. 15. 16. *cum ipſo conſentimus.*	*Id quod tanquam ſingulare annotatum, & propterea Vindici gratia acta.*
	Denique ſubjuncta eſt ratio omiſſæ impugnationis capitis ultimi Vindiciarum.

§. I.

IN paragrapho quinto Antagoniſta (1) à theſi vigeſima ſecunda ſtatim tranſilit ad theſin *vigeſimam octavam* & *nonam*, intactis theſibus quinque intermediis, cum tamen Schilterus, poſtquam in theſi *vigeſima tertia* obſervaverat, paragia Germanica & apanagia in eo convenire, quod neutrubi *(a)* poſtgeniti ſint ſubjecti primogenitis, in theſi *vigeſima quarta* ratione teſtamenti factionis & juris accreſcendi novam differentiam proponat, & horum utrumque paragiatis indulgeat, apanagiatis

 vero

(*a*) Quid de hac convenientia ſit ſentiendum, & quomodo Schilterus eam adſtruat jam ſupr. *Sect. I.* §. 2. tetigimus.

vero deneget ex principiis in præcedenti capite a nobis excerptis. Ex quibus etiam in theſi *vigeſima quinta* Springsfeldianorum regulam impugnat docentium, territorium ſemper manere primogenito, niſi ex conceſſione Imperatoris, aut conſuetudine, aut conceſſione primogeniti; adeoque manere quidem docet ſuperioritatem territorialem penes primogenitum in apanagio, at vero in paragio eandem cum diviſione territorii transferri (*b*) ad paragiatos; Unde etiam theſi *vigeſima ſexta* & *ſeptima* docet, Springsfeldium & ejus aſſeclas, dum eos poſtgenitos, qui cum terris ſuis certa etiam regalia ſuperiora acceperunt, in cenſum apanagiatorum referunt, propriis principiis alibi poſitis, (ſecundum quæ referri debuiſſent ad paragiatos,) contradicere. (*c*) Hæc omnia ſi Antagoniſta (*d*) concedit Schiltero,

(*b*) Quomodo itaque hæc aſſertio Schilteri poteſt ſtare cum ea, quam in Diſſert. ſua § 8. 13. proponit, ubi docet, jus primogenituræ tam apanagium quam paragium admittere, cum tamen hic neget non manere in caſu paragii ſuperioritatem Territorialem penes primogenitum, cujus conſequens eſt, quod nullum maneat jus primogenituræ. Unde mirum, quod non tantum Dn. Lomberdius Sereniſſimos Principes Rheinfelſenſes pro paragiatis habeat, cum tamen ſupr. *Sect. I.* §. 9. allegaverimus textus ex Receſſibus Haſſiacis, teſtantes, reſervatam eſſe ſuperioritatem Territorialem Sereniſſimo Landgrav. Haſſ. Caſſellano, ac jus primogenituræ in illo Principatu eſſe ſtabilitum: verum etiam quod Ampliſſima Facultas Hallenſis paragium in Comitatu Lippiaco obtinere reſponderit, cum tamen non minus in eo quoque ſibi jus primogenituræ locum vindicet ex antiqua jam receptione v. Hagemeier *Ep. IV. Jur. publ. Europ.* §. 55.

(*c*) An Springsfeldius ſibi contradixerit, aut an imputata ipſi a Schiltero contradictio valido fundamento niteretur, de eo non erat ut B. Hertius diſquireret. Sit, ipſum ſibi in aliquibus contradixiſſe, id tamen principali negotio non præjudicat. Quis enim homo omnis planè lapſus eſt expers? An ob unum aut aliquem lapſum tota ejus doctrina ſtatim eſt rejicienda? Etiam B. Hertius notavit multos Springsfeldii errores.

(*d*) Hæ omnes differentiæ inter apanagium & paragium longa ſerie allatæ conce-

Schiltero, cur negat concluſiones exinde deductas? ad quas etiam pertinent ſpecies quatuor paragii a Schiltero in ſequentibus theſibus propoſitæ; (*e*) ſi non concedit, cur non refutat? ſed ſaltem ſpecies paragii Schilterianas mordet. (*f*)

§. II.

Nihil enim niſi morſiunculas eſſe, quæ contra quatuor illas ſpecies à noſtro moventur, ad oculum patet. (*a*) Diſtinguit Schilterus iſtas quatuor ſpecies gradibus, & *primam* vocat, ubi poſtgeniti acquirunt dominium terrarum, non ſolum uſumfructum, & juriſdictionem territoriorum particularem in ſuos ſubditos, *ſecundam*, ubi poſtgenitis alia regalia majora, ut jus metallifodinarum, jus monetandi & alia adjiciuntur, *tertiam*, ubi omnimoda ſuperioritas territorialis juxta ratas portionum hereditariarum communicatur, *quartam*, ubi inſuper jus ſtatus immediati cum voto & ſeſſione in comitiis obtinent. Adverſus

conceduntur Schiltero, modo prius probet dari etiam paragium Germanicum. Fruſtra enim quærimus de differentiis alicujus rei, ubi ipſius rei exiſtentia in dubium adhuc vocatur, v. quæ pl. diximus in *Cap. præced. ad* §. 11. 14.

(*e*) Jam ſupr. in cap. præc. ad §. 14. *lit.* (i) abſurdam hanc aſſertionem Vindicis notavimus. Nonne enim affectiones paragii, quibus ab aliis diſtinguitur, ſunt potius conſequens ipſius paragii? Ecquis unquam tam ineptus fuit, qui adſtruat, principale habere ſe ad acceſſorium tanquam per modum concluſionis? Sane uti acceſſorium ſequitur ſuum principale, ita quoque qualitates paragii ſequuntur ipſum paragium. Jam nunc in ſequentibus principalis illa quæſtio, de qua omnis hucusque fuit contentio, ſuccedit, an detur paragium in Germania? An itaque hæc habet rationem concluſionis intuitu allatarum differentiarum? Anne ipſæ differentiæ paragii tanquam acceſſoriæ, corruunt deſtructo ipſo paragio Germanico? Ecce mi B. L. quam dilucide hic Vindex infantiam ſui ingenii prodat.

(*f*) In his enim omnis controverſiæ cardo latet, ſi enim illæ ſunt exploſæ, tolluntur ſimul omnia ea quæ hiſce tanquam fundamento ſuperſtruuntur.

(*a*) Videbimus cum perito Lectore.

Digitized by Google

verſus *harum* primam Antagoniſta in paragrapho quinto: *Nos vero*, ait, *ſpeciem hanc paragii eſſe negamus.* Contradictio hæc eſt, (*b*) non refutatio. Schilterus contra negat eſſe apanagium, addita ratione: *quia apanagium non venit jure dominii vel coheredis.* Contra Antagoniſta. *Etenim ubi primum genito competit ſuperioritas territorialis, ſive regimen univerſale, quicquid etiam ſecundo genitis de territorio attribuitur, non poteſt non apanagii jure cenſeri.* Vides, manet in terminis contradictionis (*c*) meræ, petit principium, nihil reſpondet ad rationem Schilteri, (*d*) imo ut mox apparebit, aſſerit hæc contra propriam definitionem apanagii. Unde non opus erit, ad aliam (*e*) morſiunculam

(*b*) Lege turpiſſime Vindex prius ſubſequentem rationem negationis, & tunc ſi habes micam ingenii, judica.

(*c*) Ineptis mi Vindex, quando rationem Hertii meram contradictionem eſſe aſſeris. Vis enim ejus in eo ſubſiſtit, quod hac ipſa neget, effictum a Schiltero caſum eſſe jure paragii cenſendum, cum revera apanagium ſit, id autem ex eo probat, quod eſſentiam apanagii (quæ qualis ſit ex iis quæ ſupr. *Sect. I.* §. 9. diſſeruimus patet) retineat, licet ſecundogenito ſua debita portio in terris tribuatur cum jurisdictionibus. Sufficit enim quod remaneat hoc caſu jus primogenituræ firmum, cujus indicium eſt indiviſa ſuperioritas Territorialis, cujusque conſequens apanagium, ut ſupr. *l.c.* latè probavimus.

(*d*) Non erat ut ad hanc quicquam reſponderet B. Hertius, quia Schilterus non probavit, apanagii eſſentiam mutari, quoties jure dominii vel cohæredis ſecundogenitus portionem ſuam accipit. Naturalia quidem apanagii hiſce in caſibus mutantur, ſed non ejus eſſentia, ut ante oſtendimus. Qua manente improprietas quidem aliqua inducitur, ſed non nova ac prorſus contradiſtincta ſpecies, ut ſupr. *Sect. I.* §. 10. exemplo feudorum illuſtravimus.

(*e*) Argutè egit Vindex, quod impugnationes Hertianas ſemper vocet morſiunculas, eo ipſo ad minimum apud imperitos excitat applauſum, approbantes inconvenientem alias Vindicis brevitatem in refutandis argumentis Hertii contra ſpecies paragii Germanici adductis, quæ effato Vindicis præoccupati ſaltem morſiunculas parvique momenti eſſe credunt.

lam, qua in eodem paragrapho vellicat Schilterum, *quod minus recte regimen particulare poſtgeniti, jurisdictionem territorialem dixerit*, quicquam monere, ſed reſervare obſervationes plurium fallaciarum & hic commiſſarum, ſecundo, ſi opus erit, conflictui. (*f*)

§. III.

Simili contradictione Noſter *ſecundam* paragii ſpeciem tollere vult paragrapho *ſexto*. *Enimvero nec hanc paragii ſpeciem eſſe concedimus.* Sed cur non? Cur enim Schilterus eam pro apanagii ſpecie non habeat, modo vidimus. (*a*) *Nam*, ait noſter, *regalium exercitium non tollit ſuperioritatem territorialem.* Quid inde: Quod enim ſuperioritas territorialis remanens ſufficiat ad eſſentiam apanagii, modo notavi eſſe petitionem principii. (*b*) Morſiunculam, *quod Schilterus jus metallifodinarum non re-*

(*f*) Expectabimus itaque qualia monſtra proferet Vindex.

(*a*) Et nos hanc Schilteri rationem ineptam eſſe probavimus.

(*b*) Quibus argumentis mi Vindex hanc tuam notationem probaſti? Tu petis id quod eſt in quæſtione. Nos fundamentum noſtræ aſſertionis probavimus in eo, quod eſſentia apanagii hiſce caſibus non tollatur, imo eſſentiam apanagii conſiſtere in indiviſa ſuperioritate Territoriali, ex introducti juris primogenituræ, cujus conſequens eſt apanagium, fine (ex quo in moralibus firma ſemper deſumitur probatio) luculenter ſupra adſtruximus in *Sect. I. §. 9.* En quid clarius eſſe poteſt? Anne hæc eſt petitio principii? Si Tu hæc noſtra principia, quæ ex ſolidiſſimis fundamentis deduximus, non aſſumas, non mereris, ut contra Te unum verbum faciamus, nam contra principia firma & ſolida negantem non eſſe diſputandum, vulgus novit. Quanquam non adimamus Vindici liberum arbitrium a noſtris principiis diſſentiendi, modo juſtas diſſentiendi habeat cauſas, easque non probet per ſtultam petitionem principii. Alias ſi quæro ex Vindice, quare hiſce in caſibus non manet apanagium? Reſpondet cum Schiltero, quia apanagium non venit jure dominii aut cohæredis. Si amplius quæro, quare ita? Reponit, quia apanagii eſſentia conſiſtit ſaltem in nuda proviſione, ea vero ſublata apanagium nullum eſt. Si itaque hoc ſuppo-

non rectè annumeraverit regalibus minoribus, reſervo conflictui ſecundo. (*c*) Interim præliminarium obſervationum loco Antagoniſta notare poterit, non fore contradictionem, ſi v. gr. Schilterus dixiſſet, Titium eſſe majorem Sejo, ipſe vero contra aſſeruiſſet; imo eſſe minorem Cajo; (*d*) item diſtinctionem inter regalia majora & minora in genere tanti non eſſe, ut litigia de applicatione ejus poſſint eſſe magni uſus.

§. IV.

Ut *tertiam* paragii ſpeciem eliminet Antagoniſta, miſerè ſe torquet & vertit. *An autem*, inquit paragrapho *ſeptimo, ſpecies hac paragii nomine recte appelletur, non temere dubitamus.* Et ego non temere dubito, ſed certe ſcio, ſaltem hanc ſpeciem non pertinere ad apanagia, nec Antagoniſta diſſentit, aut diſſentire poteſt. (*a*) Et cur vero non vocemus paragium, cum tamen diviſio hereditatis hic ſit inæqualis, (*b*) etſi cum præminentia

ſuppoſitum in dubium voco, afferendo alia quæ eſſentiam apanagii conſtituunt, torquent ſe, angunt, & denique tacent ut muti piſces, nec ſciunt id probare, quod illi quidem ſupponentes, alii tamen impugnant.

(*c*) O quam multa Tibi reſervas! Quare vero ea jam non ſimul impugnaſti? Forſan ideo ut abſconderes vim eorum, Lectoresque ſeduceres.

(*d*) Eſt hæc inepta applicatio ad diſtinctionem regalium majorum & minorum, id quod nunc adeo prolixè non exponemus, quia principali negotio parum præjudicat.

(*a*) Quid inde? Ergo quia non eſt apanagium, ſtatim eſt paragium. Nonne dantur aliæ ſpecies?

(*b*) Ergo jam omnis diviſio hæreditatis inæqualis efficit paragium. Ergò quando pater privatus in teſtamento inæquales portiones ſuis liberis natu minoribus tribuit, illi fiunt paragiati. Sed dicis: Paragium tantum in Princiqatibus obtinere. Verum unde hoc probas? An moribus Galliæ? Aſt ego jam contrarium ſupr. in *Sectione I.* §. 3. docui, oſtendens paragia Gallorum tantum in feudis minoribus Nobilium, non vero majoribus obtinere. An vero moribus Germaniæ? Hos nego, unde luculenter a Te ſunt probandi, quia conſiſtunt in facto, &adverſantur receptis noſtris juris publici principiis.

nentia primogeniti conjuncta. *Etenim*, ita pergit Noſter, *paragia Gallorum tantum in feudis habent locum*, (c) *& in illis primogenitus ſolus ſeniori vaſallagium præſtat*. (d) -- *At in regionibus Germaniæ, quam multa allodiali jure tenentur*. (e) *Jam & ipſe Schilterus aſſerit theſi trigeſima omnibus paragii ſpeciebus commune eſſe jus exigendi homagii à ſubditis ſuis*, (f) -- *ſed & viciſſim homagii*

(c) Hujus probationem in Notis ſubj. exegit Vindex, quam nos jam ſupr. *Sect. I.* § 4. dedimus.

(d) Hoc dicit Vindex ſe ſupr. negaſſe in cap. præced. §. 10. verum nos etiam eo loco lit. c. oſtendimus, quam imbecillis fuerit ipſius negatio.

(e) *Ergo quid inde?* inquit Vindex. *Hoc amplius non probatur, quam differentia inter paragia Galliæ & Germaniæ.* Verum mi Vindex ſi paragium aliquod in Germania ſibi locum vendicate poſſit, vel debeat, illud aliunde venire non poſſet, quam ex applicatione morum Galliæ, quibus primævum paragii inſtitutum, natura & nomen debetur, ut ſupr. *Sect. I.* § 3. oſtenſum. Hanc itaque dicimus jam inconvenientem ob multas diſparitates, quarum præter eas quas B. Hertius adduxit, complures ſupr. *Sect I.* § 4. attulimus. Præterea proba prius firmis argumentis, dari paragia Germanica, tunc Tibi poſtea largiemur differentias, quibus a paragiis Gallicis ea differre exiſtimas.

(f) Hic tam ſtupidus eſt Vindex, ut non intelligat, quid hoc ipſo ſibi velit B. Hertius, ſed forſan non intelligere vult, ne refutare teneatur. Ecce hoc ipſo nova diſparitas inter paragium Gallicum & effictum a Schiltero caſum indicatur. Schilterus enim tribuit paragiatis jus exigendi homagium a ſubditis, idque probat ex moribus Galliæ. Aſt B. Hertius oſtendit in ſua diſſert. §. 21. in Germania ſoli primogenito hoc jus competere: non obſtante, quod interdum etiam ſecundogenitus, accipiens ſuam portionem in terris, juramentum fidelitatis vulgò die Erbhuldigung à ſubditis illarum terrarum recipere queat. Nam & hoc Landſaſſiis præſtari, praxis abunde docet vid. Reinking. *L.* 1. *de R. S. & E. cl.* 5. *c.* 4. *n.* 41. Illuſtr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad Part. Special. Introduct. ad jus publ. Schwveder. Sect. II c.* 11. §. 1. Unde ex eo nullum argumentum deſumi poteſt ad ſtabiliendam paritatem poteſtatis in perſona ſecundogeniti intuitu primogeniti, quia hoc diverſum eſt ab homagio vulgò die Landshuldigung, quod

magii Imperatori vel Regi praſtandi ratione ſui territorii immediati. Ego autem repeto, & hic Antagoniſtam multipliciter peccare, partim petitione principii, partim ſupponendo falſa pro veris, partim male formando conſequentiam, ut docebunt notæ ſubjunctæ. (*g*) *Mittamus* ergo, ita concludit Antagoniſta, *vocabulum paragii, & planius dicamus, eſſe Principatus vel Comitatus hujusmodi dividuos, ſed cum aliqua primogeniti prarogativa.* Ego contra. Retineamus ergo vocabulum paragii ſatis commodum, ut, qui dicendi alias forent Principatus aut Comitatus dividui, ſed cum aliqua primogeniti prærogativa, una voce & (*h*) planius & (*i*) brevius denominemus. Interim gratias agimus adverſario, quod & hanc ſpeciem concedat, non eſſe apanagium, quod iterum ſufficit. (*k*)

§. V. Fa-

---

primogenito præſtatur a totius territorii ſubditis, etiam iis, qui in terris in apanagium conceſſis degunt. An & a Conſiliariis ſecundogenitorum? Eſt hæc ſpinoſa quæſtio, publicis aliquando ſcriptis in utramque partem ventilata, ſuper quam noſtrum judicium jam ſuſpendimus, id tantum monentes, poſſe interdum evenire cauſas, ob quas regenti domino interſit, de eorum fide etiam ſe ſecurum reddere.

(*g*) Notas Tuas ſubjunctas ego jamjam examinavi, quæ cum non doceant, quæ Tu hic jactas, eo ipſo eas allegas, ut teſtes impudentiæ, in imputandis B. Hertio erroribus prorſus diſſolutæ & effrontis.

(*h*) Planius hoc vocabulum paragii non eſt ob multas hucusque allatas diverſitates.

(*i*) Elegans hercule ratio, quia eſt vocabulum brevius, hinc propoſita ſpecies illo inſignienda, ſive nunc illi adæquatum ſit, ſive non, modo ſit brevius. Si brevitatem ſectaris mi Vindex, potuiſſes adhibere vocem *par*, illa enim tribus ſyllabis eſt brevior, ſed non vis recedere ab appellatione Gallorum, quanquam Tibi ceu JCto, cui doctrinam peregrinam propter ſimilitudinem in Jurisprudentiam introducere conceſſum, liberum arbitrium fore exiſtimarem, rei novæ invehendæ aliquid addere, vel detrahere, prout Legislatoribus in more eſſe ſolet.

(*k*) Ad quid ſufficit? An quicquam Tibi hoc prodeſt? An quia hæc ſpecies non pertinet ad claſſem apanagiorum, nunc ſtatim ſit paragium?

§. V.

Facile jam prævidere poteris quid moveat Antagoniſta contra *quartam* paragii ſpeciem. *Tanto minus*, inquit, *ſi ex monito Imperatoris Juſtiniani conſequentia rebus nomina eſſe ſtudendum, quarta ſpecies appellatione paragii commode inſinuetur. — In ejus exemplis nihil eſt paragii, niſi vocabulo ludere velimus, nam revera facta diviſio cum ſuperioritatis territorialis jure, etſi portionibus interdum inæqualibus.* Sed prævidere etiam facile poteris, quid ſummatim ſim reſponſurus. Scilicet: Etſi monitum illud, ſtudendum eſſe, ut conſequentia nomina rebus ſint, verum fuiſſet, quamvis Juſtinianus id nunquam dixiſſet; tamen iſtud monitum ad rem præſentem haud pertinet. Cum enim toties dictum ſit, (*a*) eſſentiam apanagii in eo conſiſtere, ubi ex mera proviſione primogeniti ſecundogeniti alimenta accipiunt, paragium contra, ubi poſtgeniti per diviſionem hereditatis portiones inæquales nanciſcuntur, nemini eſſe poteſt dubium, paragii nomen & huic ſpeciei eſſe convenicns. Neque ludere volo, ut patet. Quod ſi tamen Antagoniſtæ luſus placeat, vocet illam quartam ſpeciem *Plictri* aut *Bumaſ*, per me licebit, modo non appellet *apanagium.* (*b*)

§. VI.

(*a*) Non ſufficit dixiſſe, ſed probaſſe. Nos dicta illa nonniſi petitiones principii eſſe, multis in locis jam oſtendimus, explicata ſimul genuina eſſentia apanagii. Unde quæ ex falſis ſuis ſuppoſitis jam deducit Vindex, per ſe corruunt.

(*b*) Ineptis hic multifariam. Nam primo propoſitam quartam ſpeciem B. Hertius non refert ad claſſem apanagiorum, unde Tua ſollicitudo eſt inanis. Neſcio tamen quid ex eo inferre velis. Nos enim jam multoties diximus, licet ſpecies aliqua apanagium non ſit, tamen exinde non ſtatim fluit, quod ſit paragium. Dantur enim adhuc aliarum ſpecierum claſſes, quibus accenſeri poteſt, quemadmodum in hoc a Schiltero allato caſu realis obtinet diviſio territoriorum, qualem ſupr. *Sect. I.* § 5. deſcripſimus, eamque a paragio diverſam eſſe oſtendimus, quæ diſparitas quoque inde haud obſcurè elucelcit, quod

diſſen-

§. VI.

Quare & non ſine turpitudinis nota Antagoniſta in paragrapho *nono* triumphum canit ante victoriam, dum ſic incipit: *Exploſis ita è Germanico imperio paragii ſpeciebus, jam verus apanagii genius nobis indagandus eſt.* Nam nullam exploſit, ut hactenus (*a*) docui. Interim quid opus erat verum apanagii genium indagare. (*b*) Annon enim jam ante ſeculum indagaverat Betſius, annon Springsfeldius primus parens apanagii improprii, quod defendere vult Antagoniſta. Scilicet ſentiebat facile, ſi nihil innovaret circa doctrinam apanagii, ſed eam ita relinqueret, uti propoſuerat Springsfeldius, (*c*) ſe oleum & operam

diſſentientes non eos Principes paragiatos vocent, qui proprie ſic dictam terrarum diviſionem inſtituunt, ſed qui a primogenitis terras quasdam in legitimam ſuſtentationem accipiunt, quo poſteriori tamen caſu nullam eſſe diviſionem territoriorum, licet portio debita in terris præſtetur, juris primogeniturae ratio abunde docet, quippe quæ omnem diviſionem reſpuit. Nudam autem terrarum ſeparationem non inducere diviſionem ſupr. *Sect. I.* paſſim oſtendimus.

(*a*) Ubinam hoc docuiſti mi Vindex? Nonne in omnibus paragraphis frivolas Tuas petitiones principii, atque inſipidas nugas notavi?

(*b*) Uti paſſim ita quoque hic ineptum judicium de tractatione diſſertationis Hertianæ edit Vindex. Nonne enim ſummè neceſſarium erat, ut explicaretur vera atque genuina apanagii indoles, unde eo clarius conſtare poſſit, effictum eſſe paragium Germanicum, cum pleræque ejus ſpecies ſint ex numero apanagiorum. Sed mordet Vindicem, quod ab ovo quaſi & omni principio B. Hertius ſuas aſſertiones deduxerit, cum nunc eo dilucidius appareant commenta Schilteriana, hinc ridiculis ex rationibus, quia Betſius & Springsfeldius idem jam præſtiterunt, methodum Hertii carpit. An vero horum tradita ſint omni ex parte ſufficientia & valida, de eo parum Vindex diſpicit.

(*c*) In nonnullis ſaltem errores Springsfeldii notavit B. Hertius, qui quod etiam in aliquibus lapſus ſit, adeò mirum eſſe non debet, præſertim cum vix aliquorum veſtigia præ ſe vidit, imo excepto uno vel altero a Betſio præſtitis, primus omnium glaciem, ſi ita loqui fas eſt, fregit. Num autem ea emendationis vel correctionis doctrinæ Springsfeldianæ cauſa

operam perdidiſſe, cum Schilterus Springsfeldii apanagium im⸗proprium ex ipſo Springsfeldio refutaverit, & inprimis theſi *trigeſima prima* ad oculum monſtraverit, vel ex ſolis differentiis paragii & apanagii, quas ipſe Springsfeldius diſertis verbis poſuit (*d*) & ejus contradictiones eſſe palpabiles, & totam apanagii improprii chimæram evaneſcere. Sed non ſentiebat tamen Antagoniſta, ſi planè à Springsfeldii doctrina recederet, fore pugnam Andabatarum, cum Schilterus ante oculos ha-

---

cauſa ſit, quam Vindex hic jam commentus eſt, valde dubito, quia Schilterus admodum infeliciter Springsfeldium ex ſuis propriis hypotheſibus refutavit. Nam

(*d*) Ex adductis a Springsfeldio differentiis inter apanagium & paragium, nulla prorſus contradictio inferri poteſt, dum demonſtrari nequit, Springsfeldium mentione licet harum facta, earum hoc ipſo exiſtentiam in Germaniæ Principatibus agnoviſſe. Etenim ſecutus eſt ille morem nonnullorum ſcriptorum, qui ut oſtendant ſuam cognitionem hiſtoricam, non raro ſolent extra juſtos ſui thematis fines evagari, multaque ex inſtitutis peregrinorum populorum, præprimis ſi cognata ſint, immiſcere: hinc in cap. penult. ſui tractatus obiter ſaltem & quidem pauciſſimis attigit materiam de paragio Gallis uſitato, ob affinitatem quam cum apanagio habet, ejusque indolem explicavit ex Galliæ Scriptoribus, demum ſubjiciens tres differentias, quibus ab apanagio diſtinguitur, ne quis exiſtimet, paragium & apanagium in Gallia unum idemque eſſe. Qualis verò jam inter hæc de paragio inſerta, & præcedentia ejus de apanagio improprio dicta ſit contradictio, ego ſanè nondum video. Somniant profectò qui aliquam hic fingunt, non perſpicientes diverſitatis rationes, licet illæ luce meridiana ſint clariores. Quis enim non videt, unicè ad mores Gallorum Springsfeldium in d. l. reſpexiſſe, idque ſuperficiaria ſaltem ejus inſpectio ſufficienter docet? Ut jam non afferam, poſſe quoque in Gallia, ubi paragium obtinet, nihilominus apanagio improprio locum eſſe, iis ſcil. in caſibus, quando Rex aut Duces primogeniti ſuis ſecundogenitis præter ſolam perceptionem fructuum etiam jurisdictionem particularem in terris in apanagium datis concedunt, quanquam id in Gallia rarò fieri ſoleat. v. Stephan. Paſquierius *l. 2. c. 16. des*

 recherches

los habuerit doctrinam Springsfeldii, quæ in forum irrepſerat, nec prævidere adeo poterat, ſurrecturum eſſe poſt mortem ſuam quendam Antagoniſtam, qui alias terminorum definitiones fingendo, & doctrinam totam de apanagio reformando, (*e*) ridiculam redditurus eſſet totam diſputationem: quamvis nec hoc ſophiſma aliquid profuturum ſit Antagoniſtæ, quia quilibet ubique (*f*) ſentit vel logomachiam, vel petitiones principii, vel ſimilia ſtratagemata.

§. VII.

Et tamen hoc non obſtante Antagoniſta in dicto paragrapho nono emendat definitionem apanagii à Springsfeldio traditam. Dixerat Springsfeldius, *eſſe aſſignationem proviſionalem alimoniæ Principibus poſtgenitis factam.* Contra Antagoniſta non tollit quidem eam, ſed ſaltem *luculentius accuratiusque definire* voluit, eſſe *penſionem, quam primogenitus, vel qui de ejus familia eſt, ſuperioritatis territorialis compos, in pecunia vel reditibus ex certa regionis particula ultragenito, hujusque heredibus præſtat.* Ego ut & hic liberalis ſim, de ipſa hac emendata apanagii defini-

recherches de la France. Tilius *L.* 2. *d. reb. Gall.* Quibus tamen in caſibus ne quidem in Gallia inducitur paragium, dum ejus eſſentia, qualem ſupr. *Sect. I.* §. 3. deſcripſimus, eſt prorſus ab apanagio etiam improprio, quod retinet eſſentiam proprii, diverſa, quo loco etiam illud annotavimus, paragio tantum in feudis Gallorum minoribus, non vero majoribus locum eſſe.

(*e*) In terminis ſimus faciles modo in re conveniamus. B. Hertius ſaltem luculentioribus terminis expreſſit, quæ obſcurioribus Springsfeldius propoſuerat. Unde falsò affertur, eum totam doctrinam de apanagio reformaſſe, dum circa punctum contentionis cum Springsfeldii traditis amicè conſpirat, ſaltem in minutiis quibusdam, quæ negotio principali non præjudicant, ab eo diſſentiens, ut ipſa lectio Diſſertat. Hertianæ abunde inſinuat.

(*f*) In Tuis Vindiciis, uti hactenus per omnes lineas oſtendimus. Unde Tibi jam non credent lectores, qui Te mendacem eſſe, non uno loco viderunt.

Digitized by Google

definitione jam quidem litem non movebo, præprimis cum nullum ſenſerim hactenus uſum, qui ejus ſcopo inſervire queat. (a) Permittet tamen, ut ex ea ipſa definitione quandoque adverſus ipſum arguam. Et commode ſe offert illa ſtatim ſequens nota, qua Antagoniſta Springsfeldium refutare vult, quod dixerit, *apanagium non poſſe fieri per modum diviſionis, ſed ſaltem per modum proviſionis, item non conſiſtere poſſe in quantitate certa, ſed incerta.* Poſterius diſplicet Antagoniſtæ ideo, *quia nihil frequentius ſit in Germania, quam ut certa pecunia quantitas quotannis ſolvenda ultra genitis aſſignetur, & quia ipſe Schilterus alibi doceat, de quantitate apanagii aut conveniri per pacta familiæ, aut eam conſtitui in ultimis voluntatibus, aut arceſſi ex obſervantia.* (b) Adjuvabo hic Antagoniſtam: Et poterat nempe urgere adverſus Springsfeldium, quod ipſe alibi quantitatem apanagii in certam & incertam diviſerit, & ibidem varia genera expoſuerit quantitatis certæ in apanagio. (c) Sed noluit forte hac argumentatione uti, quia poſitionem Schilteri adverſus hanc Springsfeldii doctrinam, quam ſupra excerpſimus, tacendo jam ap-

(a) Is ejus eſt uſus, ut nunc luculenter conſtet, in quo vera apanagii eſſentia conſiſtat. v. quæ diximus ſupr. *Sect. I.* §. 7.

(b) Non in totum B. Hertius l. c. a Springsfeldio diſſentit, ſed ſaltem dicit, tradita Springsfeldii de quantitate apanagii incerta non poſſe universè admitti, quæ verba in excerpendo Vindex callidè omiſit. Faciunt huc quæ ſupr. *Sect. I.* § 7. circa *f.* paucis hac de re diſſeruimus, ex quibus mens Hertii pluribus intelligi poteſt.

(c) Fruſtraneum laborem ſuſcipis in ſuppeditandis argumentis contra Springsfeldium. Nam ille locus, quem Tu ex ejus *c. 8. n. 11. ſequ.* allegas, poteſt optimè combinari cum iis, quæ cap. XII. n. 9. ſcribit. Nimirum quantitas apanagii abſolutè conſiderata, ſepoſitis omnibus conventionibus illuſtrium aut aliis diſpoſitionibus, intuitu paragii eſt incerta, quia paragio in ipſa nativitate certa indita eſt quantitas ſcil. triens, ea vero mutata tollitur paragium, ut optimè docuit Dn. a Minkvvitz *Diſſ. de Paragio* § 4. Verum ſi conſideres quantitatem apanagii ſecundum quid, habito ſcil. reſpectu ad pacta familiæ, utique ea poteſt eſſe certa.

jam approbaverat. (*d*) Etſi autem hic quædam excogitari facile poſſint, quibus illam poſitionem Schilteri cum loco, quem Antagoniſta hic ex ejus inſtitutionibus excerpſit, conciliem, nolo tamen prolixus eſſe. Sed concedam, differentiam primariam & univerſalem inter paragium & apanagium non quærendam eſſe in quantitate certa vel incerta, nihil tamen id proderit adverſario; ſi modo notes, apanagium ſemper conſiſtere in quantitate ſive certa ſive incerta, paragium vero in corpore. (*e*) Unde jam omne momentum eo redit, ut videam, quomodo Antagoniſta refutet alteram differentiam à Springsfeldio conceſſam, quod videlicet paragium fiat per diviſionem, apanagium per proviſionem. Hic enim Rhodus eſt, hic ſaltandum. *Nec inſolens eſt*, ait, *partem quandam territorii etiam per modum diviſionis, licet ſine ſuperioritatis territorialis jure, ultrageni to attribui.* Verum hoc nec Schilterus negavit. Id vero quæritur, an ſit *apanagium* an *paragium*. Schilterus id ſupra vocavit primam *paragii* ſpeciem, qnam quidem Antagoniſta explodere voluit, ſed irrito conatu, ut ſupra oſtendi. (*f*) *At*, inquit Noſter, *id ipſe tamen fatetur cum multis aliis Springsfeldius.* Ego contra, (1) At ipſe Springsfeldius ibidem plures diſſentientes adduxit, Gvidonem Papam, Boerium, Capicium, Thomingium, Reusnerum, Burſatum, Aſcanium Clementem. (2) Hanc contradictionem in Springsfeldio (*g*) jam notavit Schilterus. (3) Etiamſi millies id fateantur omnes, negat tamen

(*d*) Nondum concoquere poteſt, quod B. Hertius omiſerit refutare præcedentes §§. 22. diſſ. Schilterianæ, ſemper ructatur de ſuis excerptis, quaſi in iis magnum pondus lateat. v. quæ diximus ſupr. Cap. I. *ad* §. *XI. & XIV.* & h. Cap. *ad* §. *I.*

(*e*) Hæc eſt petitio principii, unde hæc probas mi homo?

(*f*) Provocat ad §. II. h. Cap. An igitur in illo præſtiterit, quod hic de ſe gloriatur, noſtræ ſubjunctæ annotationes ibi docebunt.

(*g*) Nulla eſt contradictio in illis duobus locis Springsfeldii, ſed uti jam paſſim rationes conciliantes ſuppeditavimus, ita quoque eædem hic locum invenient.

Digitized by Google

men Schilterus, & negat additis rationibus prægnantibus, quas intactas reliquit Antagoniſta. (*b*) (4) Nec ipſe Antagoniſta conciliare poterit apanagium per diviſionem conſtitutum cum ſua, quam dedit, definitione apanagii. Ejus enim genus dixit eſſe *penſionem*. At penſio quantitatis nomen eſt, non corporis. Diviſio vero fit in *corporibus*. Certè ubi diviſio corporum eſt, ibi non eſt penſio. (*i*)

§. IIX.

Ergo jam ad ipſum apanagium improprium accedam, fœtum illum celebri Springsfeldiani, quod defendere jam aggreditur Antagoniſta. *Non mirabitur*, inquit, *qui meminerit, Schilterum ſpecies quasdam apanagio* (illi improprio) *adſcribi ſolitas* (à Springsfeldianis) *ad paragium retuliſſe, quod idem diviſionem hanc* (& apanagium illud improprium) *rejiciat.* Rectè, nec ego miror, quod Antagoniſta apanagium improprium defendere ſuſceperit, cum in eo vertatur momentum totius diſſertationis. Videamus ergo, quid pro ſua ſententia afferat Schilterus. *Apanagium*, dicit, *improprium, ſi eſt ſpecies apanagii, debet retinere definitionem generis; at apanagium improprium non retinet, quia proviſio, ut Springsfeldius definiverat apanagium, non eſt*

(*b*) Perlegi diſſert Schilteri §. 21. ad quem Tu potiſſimum hic provocas, ſed quod ingenuè fateri teneor, non inveni unam prægnantem rationem, quæ refutatione digna ſit.

(*i*) Sophiſticat hic graviter Vindex, confundit ipſam penſionem cum modo, quo ea ad aliquem venit, & re, in qua præſtatur. Verum quidem eſt, ipſam penſionem non eſſe diviſionem, nec corpus, aſt quin per modum diviſionis in corporibus præſtari poſſit, nec minus ea præſtatio nomen penſionis retineat, nil video quid obſtet, Quid notius eſt, ut vulgare exemplum ſolummodo afferam, communiter penſionem vocari canonem, quem Emphyteuta ſolvit, etiamſi ille non in pecunia, ſed in corporibus conſiſtat. v. §. 3. *J. de Locat. Cond. l.* 2. *C d. Jur. Emphyt.* Valaſc. *d. Jur. Emphyteut. qu. I. n.* 7. His obſervatis multa nunc corruunt, quæ ineptè in §. ſequ. a Vindice afferuntur.

non eſt diviſio. Addo ego ex modo dictis, (*a*) quia nec *diviſio* eſt *penſio*, quod genus apanagio dederat Antagoniſta. Antagoniſta contra. *Nos contra contendimus peti ratione hac id quod eſt ἐν τῇ ἀρχῇ.* Quid impudentius proferri poterat? Diſputavit Schilterus contra Springsfeldium, expreſſe fatentem, per diviſionem conſtitui paragium. Schilterus diſputat ex conceſſis, (*b*) & ad hominem, & tamen petit principium. O tempora! O mores! Ipſe Antagoniſta dicit, apanagium eſſe penſionem; at diviſio non poteſt eſſe penſio: Et tamen ego quoque dicar petere principium. (*c*) Unde ſua ſponte cadunt, quæ jam ſequuntur apud Antagoniſtam: *Nam non diviſio, ſed modus diviſionis, ſi ſcilicet portio diviſa cum jure ſuperioritatis territorialis ultragenito attribuatur, eſſentiam apanagii tollit, ut mox liquidum faciemus.* Ego contra. (1) Cur non hic facis liquidum. Hic enim erat locus genuinus. (2) Etiam diviſio, quæ non transfert

(*a*) Quæ ego modo refutavi in § præced. lit. (i.)

(*b*) Es pauper Diabolus mi Vindex, non potes reſpondere ad rationem Hertii, hinc quæris effugia, provocas ad conceſſa Springsfeldii, ſed fruſtra. Ea enim non ſunt ulterius extendenda, quam horum ratio patitur. Dixit utique Springsfeldius paragia per modum diviſionis in Gallia conſtitui. Verum non ſtatim nunc per inverſionem ex eo inferendum eſt, ipſum omne illud pro paragio habuiſſe, quando per modum diviſionis ſecundogenitis debita portio in terris aſſignatur, nam ne quidem in Gallia id ſemper paragium conſtituit. Deinde id pro Springsfeldio afferri poteſt, quod in apanagii improprii conſtitutione nulla contigat diviſio verè talis, ut latè & prolixè ſupr. *Sect. I.* §. 5. 6. *ſequ:* probavimus, adeoque apanagium improprium retineat definitionem generis ſcil. proviſionem, quod vocabulum licet obſcurum ſit, modo tamen rectè explicetur, admitti poteſt, præprimis cum non adverſetur eſſentiæ apanagii, quæ in proprio & improprio eadem eſt. v. pl. ſupr. *Sect. I.* §. 9. Adeoque nondum video, quomodo firmiter ex conceſſis Schilterus contra Springsfeldium argumentari poſſit.

(*c*) Non tantum petis principium, ſed ſimul quoque omnia mira confuſione commiſces, ut jam notavi ad §. *præced.* lit. (i.)

fert ad ultragenitum ſuperioritatem, eſſentiam apanagii, id eſt, *penſionem* (*d*) tollit, quia & hæc diviſio manet tamen *diviſio* penſioni omni (*e*) oppoſita. Antagoniſta: *Ne dicam nunc, quam obſcurum & ambiguum ſit proviſionis vocabulum.* Ego: imo dic ita eſſe, non tamen obſcurum & ambiguum eſt *penſionis* vocabulum. Si vero & hoc obſcurum & (*f*) ambiguum eſt, cur non clarius & ſimplicius attuliſti in tua illa luculentiore & accuratiore apanagii definitione. Antagoniſta: *Igitur retinenda erit diviſio hac, modo recte explicetur & habeatur ut diviſio analogi in ſua analogata, quemadmodum in Scholis Dialecticorum loqui ſolent.* Ego: Explica, quomodocunque velis. Id etiam loqui ſolent in ſcholis dialecticorum, definitionem termini analogi competere debere utrique analogatorum, etſi primario analogato nobiliſſimo, ſecundario ignobiliori. At *diviſio corporum* nunquam nec primario nec ſecundario erit *penſio.* (*g*) Uti corpus nunquam erit quantitas, nec quantitas corpus. (*h*)

(*d*) Inſulſe Vindex, quis unquam aſſeruit eſſentiam apanagii conſiſtere in penſione? Nonne dixit B. Hertius in verbis a Te all. eſſentiam apanagii tunc tolli, ſi dividatur ſuperioritas Territorialis? Quid igitur inde aliud ſequitur, quam eſſentiam apanagii conſiſtere in indiviſibilitate ſuperioritatis Territorialis. Miſcet certè Vindex dilucidè materiam apanagii, ejusque formam eſſentialem, atque accidentalem, quæ omnia a ſe invicem benè ſunt ſecernenda.

(*e*) Falſa ſunt hæc ſuppoſita. v. quæ diximus §. *praced.* lit. (i.)

(*f*) Proba hoc tunc Tibi credent Lectores.

(*g*) Ipſa diviſio corporum quidem non eſt penſio, verum quin penſio in corporibus per modum diviſionis conſtitui poſſit, nil impedit, ut jam lit. (i) in §. *praced.* dictum.

(*h*) Id in univerſum verum non eſſe, vel ex eo abundè intelligi poteſt, quando novimus ex Legibus Romanis, pecuniam mox ut corpus, mox ut quantitatem conſiderari, ut apparet ex *l.* 94. *§.* 1. *ff. d. ſolut. l.* 46. *ff. d. Condict. indeb. l.* 30. *pr. ff. d. Legat.* 1. Hæc vero duplex acceptio non poſſet locum obtinere, ſi aſſerto Vindicis infallibilis aliqua vis ineſſet.

§. IX.

Quæ ab Antagoniſta in ſequenti paragrapho de natura apanagii proprii afferuntur, cum Schilteri doctrinæ nullo modo ſint adverſa, quia hic omne apanagium pro proprio habet, tranſeant: quamvis nec hic mihi deſint obſervationes & monita varia. Ne tamen indigne ferat Antagoniſta, ſi plane eum intactum relinquamus, (a) duo ſaltem pauciſſimis licebit addere. Adducitur à Noſtro Grotius panagia applicans (b) ad Rempublicam Iſraeliticam. Hem quid lego? Non erubuit Grotius, dum *inſolitum* Judæis panagii nomen *ab extero regno petitum* & quidem *privatus*, & absque *permiſſione* in jurisprudentiam publicam Judaicam voluit introducere. Et Antagoniſta

(a) Induit forſan Vindex indolem ſcorpionum, quorum cauda ſemper in ictu eſſe ſolet, id quod exinde apparet, quia hucusque vix verbulum in diſſertatione Hertiana exſtitit, quod næniis ſuis conſuetis non impugnaverit. Imaginatur quidem ſibi, ſe ingratiam incurſurum, ſi aliquid intactum prætermittat, verum id fruſtra metuit.

(b) Eheu in quot formas ſeſe vertit diſſoluta Vindicis in ſophiſticando impudentia! Qualis eſt conſequentia: Grotius in Commentar. *ad II. Paralipom. XI. v.* 23. eſcas illas, quas Rex Rob amus filiis moribus dedit, vocavit panagia, E. jam doctrinam de apanagio in Juris prudentiam publicam Judaicam introduxit. Anne enim ſcis mi homo, applicationis objectum conſtituere ſolummodo res præſentes, non vero præteritas? Imo quid notius eſt, omnem applicationem ſola relatione ſimilis inſtituti peregrini non abſolvi. Præterea cum mos dandi ſecundogenitis portionem alimentariam in legitimam ſuſtentationem (quam Galli ſaltem poſtmodum apanagium appellarunt) jam tum temporis obtinuerit, quæro quid a Grotio hic ſit applicatum? ſi terminum apanagii intelligas, parum efficies, quia ſola ejus impoſitio non meretur nomen applicationis, quippe quæ jurium atque rerum eſt, non vero vocabulorum. Ergo minimè Grotius aliquid novi d. l. introduxit, cum res ipſa jam tempore Reipubl. Judaicæ in ſuo eſſe exſtiterit, quam licet Grotius apanagium appellaverit, more hodierni ſtyli, illud tamen non fecit applicationis, ſed luculentioris explicationis gratia. Unde nunc reliquæ ſtolidæ Vindicis illationes per ſe concidunt.

niſta noſter hanc ejus audaciam tolerat. Et non tolerat ſaltem, ſed approbat. Jubet igitur hæc ejus patientia & manſvetudo, ut firmiter mihi perſvadeam, cum in poſterum etiam mitiorem futurum erga eos, qui *inſolitum ipſi* paragii nomen *privati* & ſine *permiſſione* ad Principatus Germaniæ & quidem profanos applicare voluerunt. Deinde tangit Antagoniſta controverſiam: *An apanagiati ſubſint primogenito, ut regionis Domino?* Et affirmativa placet eidem, provocanti ſimul ad autoritatem Vitriarii, & ſui Præſidis illuſtris. At notum eſt, quod, ſi autoritatibus diſputandum foret, pro negativa poſſint allegari autoritates Betſii, Springsfeldii, Myleri, aliorumque & ipſius Schilteri. Apparet etiam evolventi locum Illuſtris Hertii, quod ſolum de uxore principis & liberis, non vero de fratribus loquatur. Ergo remanet ſolus Vitriarius. Ut tamen Antagoniſta ſentiat, quam ſim facilis, ad indulgendum ipſi aliquid, relinquam quæſtionem de ſubjectione vere apanagiatorum ſuo loco, quia non ſpectat ad ſcopum præſentem. De illis vero, quos ipſe apanagiatos improprie tales, ego cum Schiltero paragiatos voco, ſequamur autoritatem Vitriarii, hos eximentis à ſubjectione primogeniti. (*c*)

§. X. In

(*c*) Vitriarius certè non videtur abſolutè illius opinionis eſſe, dum ex ipſius loco in *L. III. Inſtit. Jur. publ. c.* 17. *§.* 15. dubia ejus mens circa adhibitam diſtinctionem haud obſcurè elicitur; neque ratio ab eo allegata adeò firma eſt. Sanè ſi remoto omni partium ſtudio hac de quæſtione aliquid dicendum, mihi videtur, hoc temperamentum hancque diſtinctionem adhiberi poſſe, ut nimirum diſtinguamus inter ſubjectionem *ratione bonorum terrarumque conceſſarum*, & *intuitu perſonæ. Illam* qui negare vellet, ſoli forſan lucem diſputaret. Quotidiana enim experientia teſtatur, quam eximia jura primogeniti in regionibus ſecundogenitorum exerceant, idque propter reſervatam ſibi ſuperioritatem Territorialem omni jure facere poſſunt. Unde ſi ſecundogenitus malè adminiſtret, aut intuitu terrarum in apanagium datarum contraxerit, quin hiſce in caſibus coram primogenito

 conve-

§. X.

In paragrapho *duodecimo* ad apanagium improprium redit Antagoniſta, ne cum hic nihil novi producat, nobis licebit eſſe tanto brevioribus. (1) *Diſſentit à quodam* (i. e. Springsfeldio, quem caute non nominat, ſed lector ſentiat, infelicem genitorem apanagii improprii tam ſæpe vapulare â ſuo etiam defenſore)

---

conveniri poſſit, parum dubito, quia cauſa concernit bona, quæ a primogenito tenet: non obſtante, quod Apanagiatis privilegium Auſtregarum in *Ord. Cam. P.* 2. *Tit.* 2. ſit tributum. v. diſſ. Hert. *§. XI. in f.* Atque hæc ſubjectio ratione bonorum amplius quoque exinde colligitur, quod ſecundogenitus ad collectas præſtandas obligetur, imo ab eo ad primogenitum appelletur, & quæ ſunt plura alia jura. *Hanc* verò ita audacter adſtruere nollem, quia immedietas ex nativitate ſemel acquiſita non tollitur per illam poſſeſſionem bonorum, quippe perſonam quà talem non afficit, ſed ab bona tantum pertinet. v. R. I. *d. Ao.* 1548. §. 66. planè uti Nobiles Imperii immediati nihilominus ſuam qualitatem retinent, licet illi interdum ſubditi alterius ſtatus ſint, ut conſtat ex Pac. Oſnabr. *art.* 5. §. 27. *in med.* & *art.* 6. §. 10. Ludolp. Hugo d. *Stat. Region. Germ. c.* 5. § 6. Imo de ipſis Statibus Imperii, quod illi ſubditi aliorum Statuum eſſe poſſint ſalva ipſorum illuſtri dignitate teſtantur. Reinking. *de R. S. & E. L. I. cl.* 5. *c.* 4. *n.* 32. a Seckendorff. *in Addit ad Tractat.* des teutſchen Fürſten-Staats *§.* 17. 21. Myler. *d. Princip. & Stat. Imper. c.* 37. *§.* 2. Proinde ſi grave aliquod delictum commiſerit Apanagiatus v. g. homicidium, cognitio pertinebit ad judicium Cæſareo-Aulicum, quippe quod in cauſis Criminalibus perſonarum Imperio immediatè ſubjectarum cognoſcit, ut docent judicata ap. Dn. Andler. *in Jur. publ. & privat. ad Tit. d. jurisdict. P.* 1. *n.* 24. Add. Gokel. *elegant. tr. d. ſuprem. jurisd. p.* 7. ejusque rei luculentum exemplum vidimus ante annos aliquot, ubi contradicente licet primogenito nihilominus Aula Cæſarea in caſu homicidii a ſecundogenito commiſſi inquiſitionem inſtituit, quemadmodum etjam novimus, ſi Status Imperii in alterius ſtatus territorio deliquerit, Imperatorem commiſſionem decreviſſe, non attentis prætenſionibus Domini Regionis, in qua delictum commiſſum. Idque ut defendatur. rationes juris non deſunt, de quo alibi Summa: Apanagiatus ſubeſt primogenito in *realibus*, non vero in *merè perſonalibus*.

defenſore) *qui apanagii improprii originem ex conventione deduxerat.* Hæc controverſia nihil ad me, qui cum Schiltero quiescere jubeo apanagium illud improprium in cerebro Springsfeldianorum, aut ſi malis, apud Garamantas. (2) *Adducit locum ex Sprengero de variante natura apanagiorum.* Nec hic ad me quicquam, etſi in controverſiis juris publici alias non magna ſoleat eſſe autoritas Sprengeri, (*a*) cujus quidem diligentiam laudant omnes, de judicio vero nondum conventum eſt, utrum Springsfeldius an Sprengerus alterum ſuperaverit. (*b*) Interim tamen nec ille locus mihi quicquam nocet, ſi modo ea, quæ de immobilibus apanagiatorum bonis memorat, ut videtur ſenſiſſe, intelligas de fructibus ex certis territorii partibus percipiendis, non de diviſione bonorum immobilium ratione dominii. (*c*) (3) *Definitionem apanagii improprii tradit, ubi primogenitus quidem eſt regionis dominus, ſed apanagiatus certam regionis partem regendam accipit, & quidem interdum cum quibusdam*

(*a*) Tuum judicium mi Vindex & nullum judicium pari paſſu ambulant; bene eſt, quod Tuo judicio aliorum eruditorum judicia non ſtent. Novimus in quanto pretio docti Viri habeant Sprengeri ſcripta, tùm ob raritatem materiarum quæ in aliis libris non facilè inveniuntur, tùm ob inſignem quam in publicis rebus hic Vir habuit experientiam. Equidem non ſum neſcius, methodum tractandi quam in quibusdam ſuis ſcriptis adhibuit, aliquibus diſplicuiſſe, verum propterea nihil decedit præſtantiæ rerum propoſitarum. Add. de eo judicium Sulpitii in *diſſ. d. Stud. jur. publ. recte inſtituend. & Scriptor. eo pertinent. p. m. 35. ſeqq.*

(*b*) Quicquid ſit, de eo jam non diſpiciemus, forſan in eo Vindex non errabit, ſi aliquid indulgendum ſit conjecturis nonnullorum, exiſtimantium, nomen Springsfeldii effictum eſſe, & ſub hoc ipſum Sprengerum latere, quas tamen prorſus noſtras jam non facimus.

(*c*) Unde hunc ſenſum colligis mi Vindex? Somnias fortaſſe. Nonne Sprengerus expreſſam mentionem terrarum in cit. l. facit? Imo ſi inſpexeris Principales illas domos, de quibus d. l. ſcribit, harumque morem in conſtituendo apanagia conſuetum conſideraveris, liquidò videbis, effictum eſſe intellectum, quem Sprengeri verbis hic affingis.

budam regalibus, interdum ita, ut primogeniti ſuperioritatis territorialis exercitium temperetur, quando cum eo in nonnullis juribus ſecundogenitus concurrit Hic ego *primo* obſervo, bene feciſſe quidem Antagoniſtam, quod definitionem apanagii improprii dare voluerit, cum ejus plane oblitus fuerit Springsfeldius; ſed in eo tamen pariter erraſſe, quod in ejus definitione nullum appareat genus. Neque enim ponere voluit *apanagium*, ne petitio principii ſtatim incurreret in oculos lectoris, neque *penſionem*, quia ridiculum fuiſſet *penſio*, i. e. *pars regionis* aut etiam *regimen* hujus partis. (*d*) *Secundo* dico: Tunc rem ita definitam vocas *apanagium?* At ego Berſium & Schilterum & omnes præter Springsfeldianos ſecutus id dico *paragium*. Vides ergo, etiamſi id occultare velis, quod tua definitio petat principium, (*e*) aut, ſi id elegantius eſſe putas, id quod eſt ἐν τῇ ἀρχῇ. (4) *Urgenti hic contra Schiltero, diviſionem omnem repugnare naturæ apanagii, opponit ea, quæ jam paragrapho decimo repoſuerat.* Sed harum reſponſionum imbecillitatem docuit jam noſter paragraphus octavus. (*f*) Nec fortior eſt aſſertio, quam (5) profert Antagoniſta. *Diviſio territorii per partes, quas hic vel ille jure*

(*d*) Frigida hæc eſt objectio. Quis enim non videt, voluiſſe B. Hertium hic tantum afferre prolixiorem deſcriptionem apanagii improprii, non verò formalem definitionem Logicam. Jam enim antea in §§. *praeced.* apanagium in genere definiverat, unde hæc hic repetere otioſum erat. Atque eadem etiam cauſa eſt, quare in definitione apanagii proprii itidem genus omiſit. Unde luculenter apparet, ſtolidas eſſe rationes, quas hic Vindex affert. Non enim video quid impediat, ſi vellemus loco generis vel ponere apanagium, vel penſionem, quia quæ Vindex obſtare exiſtimat, jam in præcedentibus abunde a nobis ſunt refutata.

(*e*) Illi non petunt principium, qui fundamentum ſuæ aſſertionis probant ex genuina rei indole, & receptis juribus. vid. quæ diximus h. *Cap. ad* §. 3. *lit.* (*b*)

(*f*) Imo noſtræ illi paragr. ſubjunctæ annotationes contrarium luculenter docebunt.

jure hereditario adminiſtrandas accepit, nihil officit ſuperioritati territoriali. Nam de hoc non eſt quæſtio. (*g*) Sufficit, quod officiat apanagio. Unde vides, quam turpiter ſtatum controverſiæ mutet Antagoniſta. Quæritur, an diviſio officiat *apanagio?* Schilterus affirmat: Antagoniſta contra: imo non officit *ſuperioritati territoriali.* Quid ineptius? niſi forte ſuperioritatem territorialem & apanagium Noſter putavit eſſe ſynonyma. (*h*) Hinc nihil attinet, ut ad reliqua quicquam regeramus, quæ ſequuntur in hoc paragrapho, cum æque ſint aliena à ſtatu controverſiæ. (*i*)

§. XI.

Uti pariter & illud, de quo diſſerit paulo prolixius Antagoniſta paragrapho *decimo tertio. Utrum teſtator, qui in teſtamento ſuo primogenitum voluit eſſe dominum regionis* Landes-Herrn / *ſecundo genito vero terras quaſdam attribuit gubernandas cum nonnullis regalibus: vel ſimul etiam diſpoſuit, ut nonniſi cum hujus conſenſu regimen in aliquibus reipublicæ negotiis exerceat, præſumendus ſit, voluiſſe ſecundogenitum in conſortium ſuperioritatis territorialis admittere.* Nam nec hic quæritur de *paragio* & *apanagio*

(*g*) Utique de hoc eſt quæſtio. Nam ſi diviſio territorii per partes cuilibet dividentium tribuit ſuperioritatem Territorialem, non manet apanagium, dum facta eſt realis & propriè ſic dicta diviſio territoriorum, de qua ſupr. *Sect. I.* §. 5. diximus, quæ duo invicem ſibi contraria eſſe, nemo negabit, quia obtinente diviſione, locus eſſe non poteſt juri primogenituræ, cujus conſequens eſt apanagium, prolixius hæc ſupr. *Sect. I.* explanavimus.

(*h*) Non ſunt ſynonyma, ſed ſunt correlata. Poſita enim indiviſibilitate ſuperiorit. Territ. ponitur apanagium, ea vero ſublata, & hoc tollitur ex ante dictis. Ergo quicquid efficit ſuperioritatis Territorialis indiviſibilitati, etiam officit apanagio, & vice verſa. Quæ in Not. ſubjunct. Vindex movet, ea ex his jam refutantur.

(*i*) Genuina ratio eſt, quia Vindex contra allata a B. Hertio luculenta exempla nihil regerere poteſt.

apanagio, ſed de ſuperioritate territoriali. (*a*) At vero, inquit Antagoniſta, volui, de apanagio quærere, id enim patet ex ſummario paragraphi hujus: *Huic* (apanagio improprio) *recte accenſetur, ſi ſecundogenito territorii partes cum regalibus quibusdam attribuuntur.* Ego contra: Loquere ergo perſpicuè, ut poſſis intelligi. Et ſi de cauſa loqueris, ubi ſecundogenito *partes territorii* datæ ſunt, cur in textu dicis, *gubernationem tantum* datam eſſe. An & hæc tibi ſynonyma ſunt? Mihi vero minime, *gubernatio* nomen officii eſt, *partium datio* dominii translationem infert. (*b*) Ergo cum partes datæ ſint, paragium eſt, non apanagium per toties dicta & defenſa. (*c*) Fruſtranea vero

---

(*a*) In cujus indiviſibilitate conſiſtit eſſentia apanagii, ergo hic utique quæſtio de apanagio eſt.

(*b*) Hic iterum Vindex captat verba, ſed inepte. Quid enim impedit, quo minus panagiatus teneat terras jure dominii, & ſimul jure administratorio. *Hoc* fluit ex conceſſione primogeniti vel diſpoſitione alia, *illud* ex jure proprio. *Hoc* importat exercitium juriſdictionis, *illud* tribuit facultatem omnia emolumenta ex re percipiendi, eaque jura exercendi, quæ aliàs in feudo Vaſallo competunt, ut jam ſupr. Sect. I. diximus. Sume ſimile exemplum in Comitibus & Baronibus, qui paſſim in territoriis regionum Dominorum prædia poſſident, quæ licet ad ipſos jure dominii ſpectant, regalia tamen quæ exercent, habent nonniſi ex privilegio a Domino Territorii ipſis dato. Itaque vides ſibi non adverſari, in re propria habere gubernationem.

(*c*) Optarem, ut Vindex hic unicum locum allegaſſet, ubi firmis rationibus ſe probaſſe putat, partium dationem tollere apanagium & e contrario inducere paragium. Forſan reſpicit ad §. 2. h. Cap. quo loco tamen adeò fortiter non defendit id, quod jam in quæſtione eſt. v. quæ in Notis ibi diximus, ubi oſtendimus mera hæc eſſe Vindicis ſuppoſita. Unde vellem, ut unam ſaltem ſolidam ſuæ aſſertionis afferret rationem, nec ita turpiter principium peteret. Nos contrarium luculentiori expoſitione genuinæ eſſentiæ apanagii jamjam probavimus, quam cum in indiviſibilitate ſuperioritatis Territorialis poſuimus, apparet non partium datione, ſed diviſione Superiorit. Territ. eam tolli.

Digitized by Google

vero porro eſt quæſtio & Domitiana, an qui quædam regalia, i. e. quasdam partes ſuperioritatis territorialis habet, etiam in conſortium ſuperioritatis ſit admiſſus? Idem enim eſt, ac ſi quærerem, an cui partes totius datæ, etiam in communionem totius admiſſus ſit. Quod ſi id forte in mente habuit Antagoniſta: An is, cui quædam regalia data, etiam participet de reliquis non expreſſe datis? Ego reſponderem; ſi nihil aliud in quæſtione proponatur, nec affirmative nec negative reſponderi poſſe: Sed deciſionem ſumendam eſſe ex antecedentibus & conſequentibus teſtamenti, aut ex aliis regulis bonæ interpretationis. Imo pro primogenito parum facere conjecturam, quod dictus ſit Dominus regionis in teſtamento, cum talia verba, ſi alia conjectura non concurrat, non probent ſubjectionem in ſecundogenito, ergo nec ſuperioritatem territorialem in primogenito. (*d*)

§. XII.

Etſi igitur quæſtio in §. præcedente propoſita de ſuperioritate territoriali me ulterius non tangat, ſed poſſem pati, ut Antagoniſta hic ſuo abundet, vel abutatur ingenio, putavi tamen, me facturum opus charitatis, ſi ipſi miſerrimas ratiocinationes, quibus hic utitur, ad cautionem in futurum monſtrarem: Præprimis cum multitudo verborum, quibus hic utitur Antagoniſta, omiſſis inanibus & hiſtoriunculis ineptis facile poſſint ad paucas lineas referri. *Negandam* ille cenſuit quæ-

 ſtionem

(*d*) Hic iterum latet magna ſophiſticatio Vindicis, ſed parum firma. Ecce enim dum primogenitus eſt deſtinatus ſolus territorii dominus, per ſe clarum eſt, eum unicè pollere ſuperioritate Territoriali, huicque omnes ſubjectos eſſe, qui ſunt in illo territorio, in quo cum etiam ſecundogenitus terras quasdam poſſideat, non minus ut alii Landſaſſii intuitu bonorum ſuorum ſuberit primogenito, ut pl. in præced. oſtendimus. Unde licet ſola appellatio Regionis Domini non importet ſubjectionem, ſecus tamen hoc eſt, quando cum ea concurrit poſſeſſio bonorum in ea regione, quem Dominum ſuum quis vocat, aut alia ſigna quæ ſubditum faciunt.

ſtionem propoſitam: *quia videlicet conjectura, quæ pro primogenito capitur, eſt favorabilis, quoniam partitio frangit opes, & parit facile diſcordiam, unde jus primogenituræ in dubio tanquam favorabile nec odioſum receptum eſſe cenſeri debet, quicquid etiam dixerit Nicolaus Betſius, nuper eo nomine refutatus a Ludolpho.* Sed hic regero (1) Regulam de favorabilibus extendendis, odioſis reſtringendis, in doctrina de interpretatione eſſe nullius momenti, diu jam eſt, quod evidentiſſime fuerit demonſtratum. (*a*) Cum nihil ſit in toto terrarum orbe, quod uni non ſit favorabile

(*a*) Novi elegantem illam diſceptationem quam de definitione Favorabilium & Odioſorum Celeberrimus Dn. Thomaſius cum Clariſſimo Dn. Placcio quondam habuit, & quantum ingenii mei modus capit, fateor, inſignia eſſe argumenta ab utraque parte propoſita. Cæterum ſi mihi occaſione hujus loci paucis hac de contentione liceret explicare mentem meam, dicerem, Ampliſſimi Dn. Thomaſii ſententiam in multis magna ſoliditate niti, & ſi in interpretatione ſemper reſpectus perſonarum habeatur, omninò verum eſſe, quod ſcribit: *Nihil eſſe in toto terrarum orbe, quod uni ſi ſit favorabile, alteri non ſit odioſum.* Verum liceat mihi pace Doctiſſimi Viri id regerere, in interpretatione non tam perſonarum rationem haberi, quam potius cauſam in conſiderationem venire, quarum una præ alia non rarò majori favore vel ex præſcripto legum vel alio reſpectu ſolet eſſe mactata. Hinc qui favorabiliorem habet cauſam, pro eo in dubio facienda eſt interpretatio. Hæc breviter. Si vero dicta ad præſentem noſtrum caſum applicanda eſſent, poſſet meo arbitratu ita Vindici reſponderi: hoc loco non tam de favore primogeniti præ ſecundogenito, quam potius de favorabili conjectura, quæ eſt pro jure primogenituræ præ diviſione intuitu regni atque Principatus quæri, ita ut ſi jus primogenituræ regno ſit favorabile, non poſſit ipſi eſſe odioſum. v. H. Grot. *L. II. d. J. B. & P. c.* 14. §. 7. Neque propterea quod ſecundogenitis aliquid odii afferat, deſinit eſſe favorabile, quia receptio ejus non in procurandis commodis primogenito, vel damnis ſecundogenitis, ſed in conſervatione Reipubl. fundamentum ſuum ſortitur. Ut proinde remota omni conſideratione perſonarum, habita potius ratione ipſorum regnorum ac Principatuum de favore vel odio juris primogenituræ ſit judicandum.

bile alteri odioſum, etſi diverſo reſpectu de utroque participent. (*b*) Ergo (3) non ſufficit dixiſſe, *quicquid dixerit Betſium*, (hæc enim phraſis eſt pertinacis, & parum pudentis animi indicium,) ſed reſpondendum erat ad rationes Betſii, præcipue, cum Betſius plus una vice iſtam doctrinam Antagoniſtæ contradicentem, quod primogenituræ cauſa non ſit favorabilis, nec adeo extendenda, inculcaverit. (*c*) Neque refutavit iſtas rationes Betſii (4) Dn. Ludolphus, imo ne quæſtionem quidem illam de interpretatione tetigit, ſed ſolum in loco ab Antagoniſta adducto diſputat contra Betſium circa quæſtionem: An jus primogenituræ ſit introducendum? quæ diverſa planè eſt à præſenti de interpretatione. (5) Uti vero doctrinæ ſupra à nobis propoſitæ oſtendunt, quod facile in utramque partem diſputari hic poſſit, ita forte non deeſſet, quæ pro Betſio poſſent iterum adduci, ut & pro alio autore, contra quem diſputat alibi Dn. Ludolphus, ſi hæc quæſtio primario pertineret ad ſcopum noſtrum. Denique etſi demus Antagiſtæ, *ex uno alterove regali non colligi* (totam) *ſuperioritatem territorialem*, & *tranſlata regionis particula non* (ſemper) *cenſeri tranſlatam ſuperioritatem*, *item generali conceſſione jus territoriale non venire* (niſi aliæ circumſtantiæ id ſuadeant,) ipſi tamen hoc parum proderit, cum iis argumentis nos quidem uſi haud ſimus.

§. XIII.

Quæ porro Antagoniſta in *tribus paragraphis ſequentibus*

 contra

(*b*) Hanc rationem hic nihil valere jam dictum.

(*c*) Rationes Betſii in receſſu nihil gerunt, quippe ſunt deſumtæ partim ab abuſu, in quem jus primogenituræ trahi ſolet, partim ab odio, quod affert ſecundogenitis, dum inæqualitas inter fratres inducitur. Nos uti ipſimet abuſum improbamus, ita non arbitramur, legitimum juris primogenituræ uſum propterea poſſe rejici. Altera ratio parum valet. Nam ratio ſucceſſionis in Principatibus & regnis non eſt accenſenda ex privata aliqua utilitate, verum potius ex publica. v. pl. Leiſer. *in erud. diſſ. d. Apanag.* §. 7. 8. *ſeqq.*

contra Limnæum & Springsfeldium diſputat (ad apanagia impropria referentes, (1) ubi in portiones inæquales inſtituti ſunt fratres, inque territoria ipſa cum omni jure etiam ſuffragii ſuccedunt, excepto jure capitis familiæ. (2) Ubi duo vel omnes ſimul alternatim inter ſe regentes domini ſunt, dividendo uſum jurisdictionis per tempora, quod vernacula noſtra vocatur Mutſchierung. (3) Ubi territorium manet indiviſum, & major natu aut ſenior id adminiſtrat,) adeo mihi non ſunt adverſa, ut potius in eo amicè cum Antagoniſta conſentiam, (a) & ſperem, cum tandem etiam agniturum, quod & illa unica ſpecies reſtans, pro qua ſola hactenus ipſe diſputare voluit, ſpuria ſit, & ſic totum apanagium improprium in fumum abeat. Id tamen ex ejus doctrina adhuc obſervo, quod ipſe fateatur, in conventione de ſucceſſione Domus Naſſovicæ Dillenbergenſis nomen *apanagii* quidem inveniri, quod ipſe tamen & recte pro apanagio minime habet. Unde maxime in his & ſimilibus caſibus præ regula interpretandi Antagoniſtæ, modo refutata commendari meretur regula Schilteri: Verba impropria debere nihil operari, niſi ſecundum naturam actus.

(a) Hic ultimus §. omnium maximè notabilis eſt in eo, quod per totam diſſertationem nunquam benignius cum B. Hertio Vindex egerit, quam hoc loco, dum ſententiam ipſius graviſſima ſua authoritate benevolè approbavit. Audeat nunc aliquis veritatem doctrinæ Hertianæ in dubium vocare! Interim pro hoc exhibito favoris ſpecimine decentes Vindici agimus gratias, dolentes, quod nobis propter penuriam & inopiam eorum, quæ approbatione aliqua digna videri poterant, non licuerit mutuum humanitatis officium præſtare, id tamen nobis reſervantes, in reſponſione ad ſecundas Vindicis curas, quas nobis meliora ſanioraque allaturas eſſe ſperamus, optamusque.

Hæc ſunt, quæ Vindicis Vindiciis reponere placuit. Ultimum Vindiciarum caput quare non ſimul inſeruerimus, facile judicari poterit, ſi quis modò conſideret, in eo nonniſi applicationem diſtinctionis inter paragia & apanagia contineri. Eam verò eâdem commentitia qualitate laborare quâ ipſa diſtinctio per ſe clarum eſt. Quæ etiam ratio eſt, quare B. Hertius ſibi refutandam non ſumſerit partem practicam diſſertationis

nis Schilterianæ. Interim quoniam Defendens Diſſertationis Hertianæ controverſiam ſuper Comitatu Lippiaco, qui ipſi patria eſt, inter primogenitos & ultragenitos ventilatam exempli loco ſubjunxerat, & cauſam primogeniti adſtruxerat, cogitavit Vindex ſe non poſſe melius aſſerta illa refutare, quam annectendo contrarium Reſponſum ab Ampliſſima Facultate Hallenſi in eadem controverſia datum. Nos nunc non decet de deciſione Tantorum Præſtantiſſimorum Virorum judicare, abſit etiam a nobis, in veritatem allatarum rationum decidendi ſpeciatim inquirere, dubitamus tamen, an ſemper infallibilem veritatis præſumtionem unius vel alterius Collegii Juridici Reſponſum contineat, præſertim cum non raro fiat, ut duæ Facultates circa unam eandemque cauſam diverſiſſimè reſpondeant. Licebit hic quodammodo uſurpare monitum illud Imp. Juſtin. in *l. 1. §. 6. C. d. V. J. E. Sed neque ex multitudine Autorum quod melius & æquius eſt judicatote cum poſſit unius (forſitan) & deterioris ſententia & multas & majores in aliqua parte ſuperare.* Qui perlegit Reſponſum illud Facultatis Hallenſis, inveniet per totum applicationem doctrinæ Schilterianæ, quam tamen hucusque refutavimus. Cœterum ſingula Controverſiæ Lippiacæ momenta jam expendere operæ pretium non erit, cum ea B. Hertius in ſua diſſertatione ſolidiſſime pro ſuo more jam expoſuerit, ubi legi poſſunt. Denique mi Vindex vale, & ſi quæ verba mihi ex juſta indignatione exciderint, quæ in malam partem accipi poterunt, exiſtimes, me ea non animo injuriam inferendi, ſed potius calumnias Tuas in B. Hertium, Præceptorem noſtrum, cui ad urnam usque devincti ſumus, ejectas repellendi poſuiſſe. Par enim pari referendum erat, imò licet interdum mordaciori paululum ſale Tuas Vindicias perfricuerim, id tamen exegit argumentorum prolatorum ineptitudo, quæ non ita dilucide fortè animadverteretur, ſi non liberiori ſtylo eam caſtigaviſſem, planè ut acriori ſemper opus eſt lixivia, quando maculæ eluendæ admodum craſſæ inoliteæque ſunt.

❧

SECTIO.

SECTIONIS TERTIÆ,

exhibentis

ANIMADVERSIONES NONNULLAS IN

JO. HENRICI LOMBARDII

J. U. L. & Sereniſs. Domus Haſſo-Rheinfelſenſis in Dicaſterio Rotenburgenſi Conſiliarii,

TRUTINAM TRIUM QUÆTSIONUM CONTROVERSARUM,

CONSPECTUS

§. I. *Ingreſſus.*

§. II. *Notantur quædam circa ordinem in propoſitis tribus quæſtionibus obſervatum.*

§. III. *Continet Annotationem ad quæſtionem primam.*

§. IV. *Ad quæſtionem ſecundam.*

§. V. *Ad quæſtionem Tertiam.*

§. VI. *Finis.*

§. I.

Haud ſiniſtrè, ut opinor, interpretabitur Vir Conſultiſſimus libertatem, quam in examinando Ipſius Trutinam Trium Quæſtionum Controverſarum mihi jam ſumam, cum ſuſcepti negotii ratio neceſſitatem mihi imponere videatur, omnia dubia contra diſſertationem Hertianam mota removere. Judicarunt multi de hoc Ipſius erudito ſcripto, alii benè, alii malè, prout in vita communi ita fieri conſuevit. Meum jam non facio judicium quorundam, qui poſtquam doctas Viri Conſultiſſimi pagellas perlegerunt, confeſtim exclamarunt: *Piſces non eſſe pro Lombardis.* Quo ipſo quid ſignificare vellent, initiò non intelligebam, quanquam alluſio quæ erat in nomine mihi ſtatim dictitaret, hiſce eos ad Virum Conſultiſſimum reſpexiſſe, donec diu percontatus, tandem ex alio comperi,

peri, eſſe hoc commune proverbium Italorum, eo ipſo tunc utentium, quando alicui temeritatem volunt exprobrare, ſibi aliquid ſumenti, quod tamen captum ejus longe ſuperat. Meum, inquam, hoc judicium jam non facio, cum videantur omninò prægnantes eſſe rationes, quæ Virum Conſultiſſimum ad hoc ſcriptum impulerunt. Primo cauſa Sereniſſimorum Principum Haſſo-Rheinfelſenſium, quibus a conſiliis eſt, & deinde præconcepta opinio, quaſi B. Hertius in §. ult. Diſſert. ſuæ intenderit, Ipſius ſententiam de conditione memoratorum Principum in Palæſtra judiciaria quondam propoſitam refutare; quanquam quod ultimum attinet, fateor id falsò ſibi Virum Ampliſſimum perſuaſiſſe, cum B. Hertio, ut ex ore ejus habeo, nunquam quidquam ne fando quidem de hoc Ipſius ſcripto innotuerit, verum aliæ rationes fuerunt, quare exemplum Comitatus Cattimelibocenſis Inferioris ultimò inſeruerit.

§. II.

Tres ſunt quæſtiones, quas tanquam controverſas Vir Conſult. ſub trutinam vocavit: PRIMA: *An Principes Paragiati ſint Status Imperii?* SECUNDA: *An Commentum ſit diſtinctio inter paragium & apanagium?* TERTIA: *An Comitatus inferior Cattimelibocenſis Sereniſſimis Principibus Haſſo-Rheinfelſenſibus in paragium vel apanagium datus ſit?* Licebit mihi circa ordinem in tractatis hiſce quæſtionibus obſervatum id breviter monere, longè accuratius Virum Conſult. proceſſiſſe, ſi quæſtionem, quam ſecundam in ordine fecit, primo expendiſſet. Ea enim continet omnis contentionis cardinem, proinde debebat prius firmis rationibus in anteceſſum firmari. Fruſtra ſanè quæro: An Paragiati Principes ſint Status Imperii, ubi nondum liquidum eſt, quid ſit paragium & an detur. Unde cum in prima quæſtione præſupponatur dari paragiatos Principes, mihi etiam contrarium ſupponere licebit, omnia tamen quæ Vir Conſult. de paragiatis prædicat, ego de apanagiatis intellectum volo, oſtenſurus ſubinde infirmitatem nonnullorum

O argu-

argumentorum propoſitorum, ex quibus jus ſtatus paragiatis, vel uti ego loquor, apanagiatis tributum.

§. III.

Primo loco itaque quærit Vir Conſultiſſ. *An Principes Paragiati ſint Status Imperii?* Ut verò paucis hac de quæſtione mentem meam explicem, fateor, me à ſententia Viri Conſultiſſimi adeò alienum non eſſe, verum ſemper ejus opinionis fuiſſe, Principes ſecundo genitos apanagia ſive in pecunia, ſive in terris accipientes certa conſideratione eſſe Status Imperii. Atque ut id eo clarius intelligatur, præmitto jam, notam eſſentialem Status Imperii me cum accuratiſſimis Paurmeiſtero *L. I. d. jurisd. c. 8. n. 4.* H. Conringio Exerc. *d. Civib. Imper. §. 7. ſequ.* Mauritio. diſſ. *d. Matricul. Imper. §. 14. ſequ.* Kulpis. *de Legat. Stat. Imper. c. 4. §. 4. 5.* ponere in jure voti atque ſeſſionis in comitiis daß einer Stimm und Stand in Reichs-Verſamlung habe. R. J. d. *An. 1548. §.* Wañ auch ein ausgezogener 56. Capit. Leopold. *art. 40. 44.* Cum verò à multis præſertim Limnæo votum atque ſeſſio inter accidentia Status Imperii referatur, multa producente exempla Principum, qui exercitio ſuffragandi non gaudent, & tamen Status Imperii cluent, libet jam luculentioris doctrinæ gratia certos Statuum Imperii conſtituere gradus. Nimirum quod alii ſint Status Imperii *actu ſecundo,* quo pertinent illi, qui revera jus ſuffragii in Conventibus Imperii exercent; alii *actu primo,* eoque vel *proximo,* vel *remotiori,* vel *remoto.* Priorum exempla conſtituunt illi, qui quidem revera Status Imperii facti ſunt, & decreto Cæſareo jam ad votum atque ſeſſionem admiſſi, ſed ſolenniter nondum introducti. v. R. J. *d. An. 1641. §. 97.* R. J. *d. An. 1654. §. 197.* Quò ſpectant porrò & illi, qui per injuriam à potentioribus impediuntur, aut qui vocati ſunt, in iis non comparent, e. g. Dux Sabaudiæ & Hamburgum &c. v. Schurzfleiſch. *ep. 82,* vel qui certas ob cauſas excluduntur, ut Elector Brandenburgicus & Neoburgicus, qui ob validas competitorum contradictiones inveſtituræ ratione Ducatuum, Juliaci, Cliviæ, Montiumque

nondum

nondum potiri, potuerunt v. Puffend. *L. IX. Rer. Brandenb. §. 96.* & *L. XVI. §. 96.* Ad *mediam claſſem* pertinent illi, qui Status Imperii quidem cluent, ſed ob bona quæ LL. Imperii requirunt, nondum acquiſita à Comitiis Imperii excluduntur, quod Comitibus quibusdam in Comitiis Anno 1653. uſuvenit v. A. **der Grundfeſt.** *P. 2. c. 5.* Ad *hos* exiſtimo Apanagiatos Principes non malè referri poſſe. Nam & hi dignitate Principum Comitumque gaudent, & jus in territorium ex primitiva inveſtitura quæſitum habent, licet ulterior operatio & effectus ex certo tempore ſuſpendatur, quale ſcil. eſt jus, quod ex ſtipulatione conditionata provenit v. Vultej. *Vol. 3. Conſil. Marpurg. 35. n. 31.* Myler. *d. Princip. & Stat. Imper. c. 22. §. 8. ſequ.* Add. Auctor Anonymus ſcripti: **Rechtl. Bedencken über den unmittelbahren Stand und anklebenden Würde und Gerechtigkeit abgetheilter Herren.** Neque obſtat, quod dicti Principes, ut & quos antea recenſuimus, exercitio actuali ferendi ſuffragium in comitiis careant: Sufficit enim quod habeant jus, à quo utique denominatio fieri poteſt, licet facultas illud exercendi aliquomodo ſit impedita. Qui dominium rei præciſis effectibus habet, nihilominus ejus dominus eſt. Actuale exercitium ſuffragiorum indicat quidem aliquem eſſe Statum Imperii, verum non excludit eos, qui potentionali jure gaudent, cujus exercitium licet non adſit, ſed per tempus aliquod dormiat, pro nullo tamen proptereà non eſt habendum, uti hoc pluribus argumentis ex omni Jurisprudentia illuſtrare poſſemus, ſi hic prolixi eſſe vellemus. Omnium videri poteſt Dn. Kulpis. in d. diſſ. *c. 4. §. 8.* Add. B. D. Hert. *in Notit. Imp. R. G. c. 8. §. 10.* Atque hæc, quæ diximus tam de impropriè, quam propriè talibus Principibus Apanagiatis intelligi volumus. Nullā enim differens apanagiorum conditio hic cauſatur diſtinctionē. Unde nunc ſimul liquidum fiet, quam fruſtraneus ſit labor Viri Conſ. in congerendo tantum acervum argumentorum ad hujus quæſtionis affirmativam ſtabiliendam, quorū tamē pleraq; præſertim quæ de *immediata ſubjectione,*

 ſubi-

Nobilibus Immediatis, Titulo DEI gratia, aliisque appellationibus deſit, nil prorſus ad rem faciunt, nec quicquã ſis probare poteſt, quin potius cum falſitas eorum liquidò in oculos incurrat, docente ipſa praxi contrarium, iis ipſis magis id dubium reddit, quod his aliàs adſtruere intendit. Neque exinde aliquid probat, quando in *p. 7. inf.* dicit Statum Imperii quis poſſe eſſe, qui territorio caret, illud enim hodierna ætate per R. J. d. *A. 1654. §. 197.* non procedit, ita ut poſſeſſio bonorum immobilium in imperio ſe hodie tanquam cauſa ſine qua non ad Statum Imperii habeat, fruſtra renitente Limnæo, cui indignum videtur, dignitatem ordinum glebæ adſcribi, cum nil notius ſit, quam in Imperii comitiis ſuffragia territoriis numerari v. Ludolph. Hug. *d. Stat. Region. German. c. 4. §. 13.* Kulpiſ. in *Not. ad Monzamban. p. 213. 214.* Imò in ipſa A. B. Tit. XX. jus electionis, quod Electores habent, virtuti Principatuum adſcribitur. Interim licet Apanagiati Principes deſtituantur territorio, quia tamen jus habent ex primitiva inveſtitura in totum territorium quæſitum, ex eo jam ſufficiens denominatio deſumi poterit. Præterea mihi non placet, quando Vir Conſult. in *p. 8. inf.* ita abſolutè aſſerit, votum atque ſeſſionem eſſe accidens Status, quod abeſſe vel adeſſe poſſit ſalva Status eſſentia. Nam Statum Imperii facit ſolummodo facultas ſtatuendi de negotiis Imperii, quæ ſeſe exſerit vel *perfectè* in Principibus Regentibus, aliisque votum in Comitiis habentibus, vel *imperfectè in iis* ſcil. Principibus, qui actuali quidem ſuffragandi exercitio carent, omni tamen jure prorſus deſtituti non ſunt, ut Principes Apanagiati. Sane ſi eſſentia Status non ſubſiſteret in jure voti atque ſeſſionis, multi pro Statibus ſe venditare poſſent e. g. Nobiles Immediati, quos tamen ea qualitate non eſſe mactatos, praxis abundè docet; hinc quoque à Statibus Imperii ſignatè in LL. Imperii ſegregantur v. Inſtr. Oſnabr. *art. 5. & art. 5. §. 2.* Capitul. Leopold. *art. 3. §. 15.* Neque exemplo Ganerbiatus Friedbergenſis à Viro Conſultiſſ. ex Kulpiſio adducto, contrarium evinci poteſt, quia Burgraffius dicti Ganerbiatus ad

comitia

comitiis vocatur ſolummodo intuitu Comitatus Kaichenſis, ad ipſum jure ſucceſſionis quondam devoluti, non verò ex peculiari quodam jure Nobilitati immediatæ Wetteravicæ quà tali competente. Ratio in *p. 9. n. 11.* a Viro Conſult. allata etiam huc prorſus non pertinet. Nam Seckendorffius in *loc. cit.* loquitur neque de apanagiatis, neque de paragiatis, ſed de caſu factæ diviſionis Territorii inæqualis, ubi omnes fiunt æquales Regentes Domini, atque Superioritatis Territorialis in ſuis Terris æqualiter compotes, quod contingit neque in paragio, neque apanagio, in quo penes primogenitum remanet integrum Superioritatis Territorialis exercitium v. quæ diximus ſupr. *Sect. I. §. 5.* & paſſim. Ultimæ rationi exigua vis ineſt, parumque ea probat. Cœterum quod Vir Conſult. Principes Rheinfelſenſes ad claſſem Statuum Imperii referat, in eo errare non videtur, ob jus ſcil. ipſis ex primitiva inveſtitura competens, quod jam ſufficit. Tantum de prima quæſtione.

§. IV.

In altera quæſtione: *An Commentum ſit diſtinctio inter paragium & apanagium?* primo Vir Conſultiſſ. adducit multos Viros doctos pro negativa pugnantes. Licet vero hic ſtatim monere poſſem, potius legibus quam Authoritatibus pugnandum eſſe, admittam tamen haſce probationes, modò liquidò demonſtrari poſſet, allegatos Doctores B. Dn. Stryckium, Illuſtr. Dn. Coccejum paragiorum in Germaniæ Principatibus exiſtentiam defendere atque agnoſcere. Certe Dn. Cocceji locus all. in meræ relationis terminis conſiſtit, ac admodum dubitanter conceptus eſt, unde apertè colligere licet, Magnum hunce JCtum ejus ſententiæ planè non fuiſſe, id quod mihi etiam nondum perſuadere poſſum, cum ſit Vir in Hiſtoria ac Jure Publ. Romano-Germanico accuratiſſimus, ac verſatiſſimus. Deinde Vir Conſultiſſ. duplex jus primogenituræ facit, aliud quod in bonis individuis, aliud quod in dividuis obtinet. An verò hoc ultimum in rerum natura ſit, & non potius hac diſtinctio

ſtinctione contradictio in adjecto committatur, ego neſcio. Nam ubi obtinet diviſio, ibi jus primogenituræ locum ſibi ſimul vendicare nequit. Argumentum ſubſequens ab appellatione vel modo loquendi Germanico deſumtum parum probat v. *Sect. I. §. 8.* uti & illud quod ex periphraſtica deſcriptione paragii deducit. Vellem enim ut una ratio afferatur, ex qua probari poſſit, paragium tunc induci, quando jure proprietatis tanquam pars paternæ hæreditatis per modum diviſionis portionem ſuam ſecundogeniti accipiunt. Ego nego, jure proprietatis ad ſecundogenitos tranſire terras in apanagium conceſſas. Si quod dominium ii acquirunt, nil aliud eſt, quam quod utile alias vocare ſolemus, ut jam ſupr. *Sect. I.* probatum, idque plenius ex effectibus colligere licet. Nego quoque per modum diviſionis eos illas terrarum portiones acquirere, quia certum eſt, illas manere partem totius territorii primogeniti, quod indiviſum manet propter introductum jus primogenituræ, cujus receptionis finem ſi quis ſimul inſpiciat, facile judicare poteſt non tantum de eſſentia apanagii, quippe quod ex eo immediatè fluit, verum etiam ſomnia eſſe, & ad rem planè non pertinere, quæ de dominio, diviſione, vel proviſione hic vulgo garriunt. Quæ Vir Conſult. in *p. 13.* in excuſationem Schilteri affert, ea jam ex iis quæ nos ſupr. *Sect. II. Cap. I. ad §. 4.* contra Vindicem Hallenſem diſſeruimus, refelluntur. Cœterum vellem, ne in numerum Doctorum pro paragio pugnantium retuliſſet nomen Celebratiſſimi Dn. Cocceji, certè facit Ipſi injuriam, quod locum ejus all. penitius inſpicienti, obſcurum manere nequit. De aliis allegatis Autoribus jam non dicam, ad minimum ii pro primis applicatoribus produci nequeunt. Circa illud quod monet Vir Conſult. de Comitibus Oſtfriſienſibus, quos paragiatos eſſe exiſtimat vigore decreti Cæſarci, hoc dubium mihi naſcitur, quod in dicto decreto Cæſareo primogenitus ſit conſtitutus regionis Dominus, adeoque eo ſtante nulla obtinet communio, ut jam

ſupr.

ſupr. *Sect. I. §. 6.* dictum. Sane concurſus ille ſecundogeniti in quorundam Jurium Territorialium exercitio non inducit communionem, aut mutat introductum jus primogenituræ, ut ſupr. *Sect. I. §. 9.* prolixè demonſtratum. Denique poſito inter Comites Oſtfriſiæ obtinere communionem, tamen paragio locus eſſe non poteſt, quæ invicem ſunt diverſa, ut ex ſupra dictis in *Sect. I.* liquidò jam conſtabit.

§. V.

Succedit nunc tertia quæſtio: *An Comitatus inferior Cattimelibocenſis Sereniſſimis Principibus Haſſo Rheinfelſenſibus in paragium vel apanagium datus ſit?* Ubi initio Vir Conſultiſſ. affert rationes dubitandi, ex quibus aliquis exiſtimare poſſet, dictos Principes paragiatos non eſſe, quas nunc examinare neceſſe haud eſt, cum id potius confirment, quod nos jam adſtruere intendimus. In *pag.* vero *16.* incipit recenſere argumenta, paragii in Comitatu Cattimelibocenſi exiſtentiam probantia. Quorum primum deſumtum ex R. Haſſ. de An. 1627. ibi dicitur: eine beſtändige Abtheilung der jüngern Herren vierdten Theils ꝛc. *diviſio autem*, inquit, *ubi jus primogenituræ obtinet, contrariatur apanagio.* Verum, ut pace Viri Conſult. moneam, hæc ratio prorſus incongrua eſt, quia ſe mutuo excludunt jus primogenituræ & diviſio, hæcque ut evitetur illud eſt introductum, ex quo apanagium immediatè fluit. Reliqua quæ in p. 17. in medium producit, fruſtra afferuntur, non tollunt eſſentiam apanagii, ſed ſaltem ejus naturam, quam ſupr. *Sect. I. §. 9. p. 25.* determinavimus, paululum alterant. Naturalibus rei mutatis, ſalva manente ejus eſſentia, in ipſa re non contingere aliquam mutationem, noto notius eſt. Id notandum, quod in *p. 18.* Vir Conſult. ex ea ratione apanagiatis non tribuat facultatem exigendi homagium, quia non ſunt Regentes Domini, qua ipſa tamen cum gaudeant Sereniſſ. Principes Rheinfelſenſes, exinde deducat eos eſſe paragiatos. Verum ea, quæ in apanagiatis, eadem quoque in paragiatis, quales di-

dictos

ctos Principes eſſe exiſtimat, militat ratio. Nam & illi non ſunt Regentes Domini, ut ex R. Haſſ. d. An. 1654. *ſupr. Sect. I. §. 9. in f. all.* apparet, ubi Sereniſſimo Landgravio Haſſiæ Caſſellano reſervata eſt Superioritas Territorialis, die alleinige Landes-Fürſtl. Obrigkeit / ut verba ſonant. Cœterum aliud eſt homagium, quod dicitur die Erbhuldigung / aliud quod dicitur die Landeshuldigung. *Illud* præſtatur Sereniſſimis Principibus Haſſo-Rheinfelſenſibus, imò & aliis qui ſpem ſucceſſionis habent, ut confratres. *Hoc* vero ſoli Regionis Domino, a quo diverſum eſt illud. Add. quæ ſupr. *Sect. II. Cap. II. ad §. 4. lit. f.* diximus. Porrò exinde quod Sereniſſ. Principes Haſſo Rheinfelſenſes aucto domanio primogeniti poſſent quartam ejus acceſſionis petere, infert Vir Conſult. eos eſſe paragiatos, quia apanagiati ad augmentum apanagii agere non poſſunt. Verum hiſce & aliis modis non mutatur eſſentia apanagii. Dependent hæc omnia ex conventione, qua naturalia apanagii immutari poſſunt. Sufficit quod Sereniſſimus Princeps Haſſo Caſſellanus maneat Regionis Dominus, quod hic apanagium in ſuo eſſe ſuſtinet. Sane quod hæc omnia ex ſtatutis familiæ ſint dijudicanda, etiam exinde illuſtratur, quod ut ipſe Vir Conſultiſſ. adducit, poſtgeniti lineæ Darmſtadinæ nunquam ratione bonorum obveniendorum futurorum agere poſſint, quod tamen poſſent, ſi hoc ex natura paragii fluat, cujus qualitatem non minus habent poſtgeniti lineæ Darmſtadinæ quam Caſſellanæ, ſi certum eſt, paragium aliquod in Germania dari. Idem dicendum eſt de reliquis juribus, ſecundogenitis a primogenito indultis. v. quæ diximus ſupr. *Sect. I. §. 9.* In *p. 21. in f.* vult Vir Conſultiſſimus B. Hertium ex propriis hypotheſibus refutare, ſed fruſtra. Nam præter primogenituram & apanagium dantur & aliæ ſpecies, ſcil diviſio territorii inæqualis, quæ diverſa eſt a paragio, ut jam ſupr. *Sect. I. §. 10. p. 29.* & *Sect. II. Cap II. ad §. 5.* & paſſim probavimus. Reliqua in *p. 22. & 23.* a Viro Conſultiſſimo allata, ſunt prorſus imbecillia, & ſine

labore

labore deſtruuntur ex iis quæ in *Sect. I. §. 9.* diximus, ubi & locum all. ex R. Haſſiaco inſeruimus, eumque examinavimus. Quomodo apanagiati primogenito ſubjecti ſint, & an paritas dignitatis eos ab omni ſubjectione eximat ſupr. *Sect. I. §. 2. p. 8. §. 4, p. 14.* & *Sect. II. Cap. II. ad §. 10. lit. (b)* ſufficienter expoſuimus. Illud quod in *p. 24. in pr.* de jure primogenituræ, tam paragium quam apanagium admittente, aſſeritur, quoque falſum eſt ex traditis noſtris in *Sect. I. §. 4. p. 13.* neque etiam ullo fundamento nititur, quando in *d. p. in med.* ſcribit: *Jus primogenituræ apud omnes gentes pro odioſo haberi, & Germanis non uſurpari.* Utrumque enim probari nequit. Non *prius*, quia ejus receptio fundat ſe in favore atque utilitate, ad regnum vel Principatum inde reſultante. Hinc ap. Herodot. *L. VII. pr.* vocatur, *ætatis privilegium, jus Gentium, & univerſorum hominum.* Conferenda h. ſunt omnino, quæ ſupr. *Sect. II. Cap. II. ad §. 12.* diſſeruimus. Neque *poſterius*, quia praxis quotidiana aliud docet. Vix enim hodie multos reperies Principatus vel Comitatus, ubi jus primogenituræ non obtineat v. Itter. *d. Feud. Imper. cap. 12. §. 15. 16.* Cætera in *pag. 25. 26.* non merentur attingi, ſunt enim meræ petitiones principii. Optarem, ut Vir Conſultiſſimus loco allegationum ex Schiltero factarum, rationes ſolidas ex LL. Imperii noſtri, vel Juriſprudentia Univerſali adduxiſſet. Illa profectò, an jure dominii, vel proprietatis, aut paternæ hæreditatis, aut per modum diviſionis ſecundogeniti accipiant debitam penſionem, pertinent ad qualitates apanagiorum accidentales. Juris primogenituræ introducti ratio exigit, ut præſtetur ſecundogenitis aliquid in legitimam ſuſtentationem. Quomodo vero hoc, & quantum debeat præſtari, illud dependet ex diſpoſitione cujuscunque Principatus. Variante itaque licet quantitate vel qualitate præſtationis, propterea non variat jus primogenituræ, hoc vero manente immutato, etiam apanagium quod ex eo fluit, immotum ſubſiſtit; neque tunc paragio locus eſſe poteſt, id quod abundè

P exeo

ex eo colligitur, quia paragium inducit paritatem inter primogenitum & ſecundogenitum, v. ſupr. *Sect. I.* §. 2. ea verò ſtare non poteſt cum jure primogenituræ propter Superioritatem Territorialem, quæ primogenito competit etiam in terras primogeniti, quæque parilem Superioritatem reſpuit, cum Superioritas Superioritatis non detur. Sanè ſi unicum jus provocationis, quæ a ſecundogenitis ad primogenitum fit, ſpectemus, liquidò apparet, ſecundogenitum eſſe inferiorem primogenito, ergo non eſt par, nec paritatem poteſtatis habet. Neſcio an quicquam clarius eſſe poſſit.

§. VI.

Plura addere jam non libet præſertim circa ultimam quæſtionem, quam ut audivi alius quidam peculiari opera refutandam ſibi ſumet. Volui ſaltem hæc amice monere, quæ ut ſerena fronte accipiantur, enixè rogo. Si quod erroris præter opinionem a me hic ſit commiſſum, ſciat Vir Conſultiſſimus, quod non promptius poſſit me monere errantem, quam ego monentem ſequar. Ego certe lubentiſſime ipſi condono lapſus in hoc ſcripto paſſim admiſſos, idque eo promtiùs, quia Ipſe faſſus eſt, ſe nunquam in Academiis ſuo tempore aliquid de paragio audiviſſe, unde Ipſi omnino difficile fuit, de ſententiaSchilteriana &Hertiana, quænam ſit earum verior, judicandi.

Libet nunc adhuc ſubjungere Epiſtolam Amici ad Amicum, occaſione Diſſertationis Hertianæ & Vindiciarum Hallenſium exaratam Anno MCCX. die IIX. Febr. partim ob defectum Exemplarium, partim quia in ea continetur judicium B. Hertii, de Vindiciis Hallenſibus quondam latum.

Amico-

Amicorum optime!

A*Ccepi literas Tuas cum Diſſertatione nuperrime apud Vos habita, cujus titulus eſt*: Vindiciæ diſtinctionis inter pa.agia & apanagia, *quas, Præſide Domino Chriſtiano Thomaſio, Conſiliario Boruſſico Intim. & Prof. Jur. Ord. pro gradu doctoratus obtinendo, publico eruditorum examini ſubmiſit, M. Ephraim Gerhard, Advoc. Saxo Vinarienſ., quam ob novitatem argumenti incunctanter & avide totam perlegi. Ut ut autem mihi d ſtricte præceperis, ne utrique noſtrum Patrono, Ampliſſimo Hertio, eam exhiberem, non tamen potui in ea parte Tibi obſecundare, aut morem gerere; ſed, qua primum licuit occaſione, Virum, uti noſti, humaniſſimum, adii, ut quæ in diſſertatione illa continerentur, Eid:m ſummatim, & quam fieri poſſet placide referrem. Quod cum fieret, petiit à me, ut ſibi perlegenda ejus copia tantum ad diem unum concederetur, poſtero die ſe quid ſentiret, brevi ſermone declaraturum. Altero die, cum ex juſſu Eum reviſerem, perlibenter haud dubiè audies quid Vir ille laudatiſſimus exiſtimaverit. Primum ajebat, minimas in Diſſertatione ſua* de Commentitia apnnagii & paragii diſtinctione &c. *Reſpondentis ſui partes eſſe; eam ſe veritatis ſolius amore ductum ſcripſiſſe, ut novitatibus obſtrueret: facile præſenſiſſe, antea eam quam ederet, non paucorum ſe odia incurſurum, ſed ea ſe minime veritum, quum veritati unice litaſſet. Quod igitur in Reſpondentem tot convitia, tot ſcurrilitates, tot calumnia congeſta eſſent, id ad ſe quoque pertinere, & tamen apologiam ſe repoſiturum, procul ira, procul odio, procul affectu, etſi uterque aliud promeriti eſſent; Thomaſius quidem, quod homini inſanienti præſidium commodaverit; Reſpondenti, quod miſer graculus literatorum gregi ſe immiſcuerit, & ineptiarum tot auctorem ſe ultro profeſſus fuerit. Semper enim ſibi perſuaſum fuiſſe, fœda illa inter eruditos certamina fœtus eſſe deformes animorum male moratorum. Addebat de Thomaſio, quem hucusque inter præcipuos amicorum ſuorum numeraverit, ſe non mirari: at, quæ cauſa commoverint hominem Sileſium, Advocatum Saxo-Vinarienſem, ut defenſorem ageret Schilteri, ex cujus doctrina Sereniſſimus ejus Princeps in claſſem Paragiatorum detrudendus fuit, ſe ne cogitando quidem aſſequi poſſe. Non enim ſe credere, placere unquam regionis Domino poſſe, ut in numerum paragiatorum compingatur. Addebat porro, non dubitaturum ſe, Illuſtrem Thomaſium, lecta apologia ſua, quam publicaturus ſit, manus daturum & mutaturum ſententiam, quod toties atque toties jam fecerit, etiam in univerſali juriſprudentia. Hoc ſe*

candorem in Viro ſibi æſtimato interpretari: at alios, forte æmulos ac invidos, id ut ſignum accipere animi parum firmi, parumve ſolidi, ingenii in minimis quibuſque fluctuantis, & ad nova quæque, qualiacunque ſe obtulerint, ſaltem ut Cymbalum mundi audiat, prurientis, cum ipſum Vertumni potius nomine inſigniendum cenſerent. De Reſpondente ſubjiciebat: optare ſe, ut l. *6.* §. 1. C. de poſtul. *attente ac prius legiſſet: ſignanter enim ibi Impp. AA.* agant *(Advocati)* quod cauſa deſiderat: temperent ſe ab injuria. Nam ſi quis adeo procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur: nec enim conniventia commodanda eſt, ut quiſquam, negotio derelicto, in adverſarii ſui contumeliam aut palam pergat, aut ſubdole. *Monere propterea, ut diſcat latinè ſcribere, vel meliores auctores, quam literas obſcurorum virorum, legat. Deinde cerebrum purget, hoc enim, velut Augiæ ſtabulum, remedio illo magis indigere, quam diſſertationem, cujus oppugnationem, homo, ut molliter dicam, vanus, ſuſcepit. Studeat denique ſolidis rerum argumentis certare, non λογομαχεῖν: non argutiis, non ſophiſticationibus, non inanibus verborum cavillis ludibriisve chartas implere. Hæc & alia, quæ exciderunt mihi, pleraque ſubridens & fere non commotus Patronus ille noſter proferebat. Si quid eſt amplius in quo aut ſtudiis aut commodis Tuis poſſum inſervire, ſcis me monendum eſſe, non rogandum. Deus O. M. ut generoſo propoſito Tuo proſperi adſint ſucceſſus, duo Tibi præſtet bona mentis auxilia, firmam valetudinem, & conſtantem fortunam. Scribebam feſtinanter Eleutheropoli IIX. Februar. MDCCX.*

TUUS EX ASSE.

ERRATA.

In p. 10. in fin. l. penult. pro derivantium lege derivantes. In p. 61. in Not. lit. (g) pro protactionem lege protractionem. In p. 71. in Not. lit. (a) in fin. pro Stingsfeld. d. apanag. c. ult. lege. Springsfeld. d. apanag. c. penult. Atque ſic quoque corrige locum Springsfeldii in p. 72. lit. (c) in f. ubi pro cap. ult. ponendum penult. In p. 108. lin. prima poſt verbum appellationibus ita legatur: deſumſit, nil prorſus ad rem facient, nec &c. Reliqua errata B. L. humaniter corrigat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google